


Il existe une seconde
édition du
Sylvarium liber singularis
parue en 1652 -
chez Colombez - in - 4°
Sur le titre - se trouvent
les Armes de Boulouze.
Ce Recueil fut publié
après la mort de
Simon d'Olive 1645.

717 1652)



3/

Res P/XVII-59

SYLVARVM LIBER SINGVLARIS,

*SIMONIS OLIVÆ MENILII
Senatoris Tolosani.*

AD EMINENTISSIMVM
CARDINALEM
DVCEM DE RICHELIEV.



T O L O S Æ,

Apud ARNALDV M COLOMERIV M , Regis, & Academiæ
Tolosanæ Typographum. M. DC. XLII.





EMINENTISSIMO CARDINALI, DVCI DE RICHELIEV.

DVM Te, CARDINALIS
EMINENTISSIME, cū Veris
amœnitate mœnibus suis
aduentantem exspectat Tolosa, &
tam optatæ sortis spe blandiente in
lætitiam tota effunditur, septis vrbis
se proripit moræ impatiens Musa, &
præo cupatâ felicitate tibi præsenti
cultum, & venerationem exhibere
festinat. Poëmatia quæ præfert tuis

tholis appendenda, subitaneo studio
in Syluarum modum adornauit. In
hac præcipiti cura mentem subiit
nemora primitùs fuisse Numinum
templa, ideóque sub hoc præcipue
nomine consecrandos esse Tibi ver-
sus, cuius tot & tantis virtutibus aræ
debentur, ac delubra. Attollunt se
quidem in hoc Opere tumultuario,
velut in syluis, sentes, & dum i quā-
plures, rudi, & impolito stylo exaspe-
rati: Sed emicat passim inter rubos
sacra cum horrore religio, & submis-
sa tui Numinis reuerentia, qualis
olim in lucis circa veteres Deos eni-
tuit. Hic laudum tuarum sylua læ-
tissima altis innixa radicibus amico
cælo, frustra obluctantibus ventis, se

inserit. **H**ic Cedrus, quæ æternitati
nata nec cariem, nec vetustatē sen-
tit, nomen tuum immortalitati con-
secratum suo cortici seruat incisum.
Quercus hīc Tibi assurgit, & ob Ci-
ues in perduellium, & externorum
hostiū profligatione seruatos, fron-
des suas porrigit. **H**ic pacates ramos
Oliua Tibi prætendit ob pacem per
vniuersam Galliam indefessis curis
quesitam, & propter Palladis studia,
quæ, excitatis exemplo tuo non mi-
nūs quām beneficio ad preclaras lit-
teras ingeniis, sanguinem per Te, &
spiritum receperunt. **H**ic vietricia
Laurusexpli cat folia tuo capiti adū-
brando, à quo diuina fluunt consilia,
quibus prostrata iacet impia Secta-

riorum factio, & atrox impotentis
Iberi potentia , simûlque in pris-
cum decus exsurgit Patrum reli-
gio semisepulta, & Sociorum liber-
tas oppressa. Denique sparsa sunt
vndiquaque in his Syluis tua præ-
conia, **CARDINALIS EMINEN-**
TISSIME, non secus ac in **Orbe to-**
to sparsa sunt tua facta insignia.
Sed hæc quidem, quæ nullus æui si-
tus abolebit, cum iucunditate pari-
ter & admiratione in hominum
mentes incurruunt, qui meliore me-
tallo ductos, & ab omni profus mor-
talitatis colluui defæcatos mores in
Te suspiciunt; Téque à Deo datum
intelligūt, vt sit in quo se Virtus per
omnes numeros senescenti mundo

viuida, & alacris efficaciter ostendat.
Illa verò quæ tenui deducta carmi-
ne tuis oculis irrepere audent elogia,
adeò infrà materiæ dignitatem ia-
cent, vt erubescat inconcinnus Poë-
ta talia cecinisse, quibus impar sit ip-
sa cum ornamentiis suis Eloquentia.

Quis enim Te, C A R D I N A L I S
E M I N E N T I S S I M E , vel strictæ, vel
solutæ orationis modis, vt decet, ef-
ferat? qui Deo promouente in labo-
rum, curarūmque Regalium con-
fortium assumptus, fido, solertique
sub maximo Rege ministerio, ea per
diffusos terræ tractus in publicum
bonum peragis, quæ facta nūquam
retulit antiquitas, & quæ fieri potuif-
se vix credet posterorum ætas. Sa-

sædejans

pieniſſimi apud Principes Conſiliarij, & peritiffimi Regiae potentiæ Ministri plures enixâ operâ imaginem anteâ delineauerunt: Tu ynus tandem absoluisti. Ab horum prudentia descivit felicitas, ab illorum felicitate abfuit prudentia, quorumdam felicitatem pariter & prudentiam deſtituerūt reliquæ corporis, & animidotes, quas exigit arduū admiſtrādæ Reipublice munus. At nouâ quâdam forte cōcurrīt in Te ſincera bonorum omniū congeries, cōcentūſque virtutum, ſedet in fronte decens gratia, nitet in ore conſpicua dignitas, manat è labris melleus eloquij lepos, viget in oculis fulgor sydereus, emicat in toto corpore ſparſa majestas

sa maiestas , quæ blandâ vultûs leni-
tate temperata, sinè fascium insigni-
bus, sinè Apparitorū ministerio, ip-
sa sibi viam in animos hominū pri-
mo obtutu facit , soliūmque in illis
statuit vbi suauiter regnet. Assidet
lateri comes indiuidua felicitas, tuis
se fortuna libens submittit imperiis,
nec in Te suam exhibet potentiam,
nisi eâ parte quâ prodest. Ità , quæ
singula magnos viros ornare solent
heroicæ laudis decora , mirabili so-
ciata mixturâ in Te confluunt vni-
uersa, Téque visu , & auditu iux-
tà venerabilem faciunt, & supra hu-
manam naturam euehunt. Hinc, ad
rerum immortalium morem , quæ
stare nesciunt & perpetuo motu se

vegetant, innatum Tibi est ab opere
numquam interquiescere, euentus
prosperos nouis augere successibus,
repetitis factis priores actus com-
mendare, victoriis addere victorias,
cumulatis trophæis patriam nobili-
tare, Francici nominis hostes non
vno in loco, sed ubique proterere; &
quasi præterita sint obliterata si desi-
nas, nihil putas egisse, nisi assiduè
agas. Sic ab expeditione Belgica pro-
tinus ad Ruscinonensem transfis, &
ab uno Imperij limite, velocissimi sy-
deris instar, in alium transfolas, ex-
tremæque Hesperiæ fata extrema
pacem mundo latura, quæ Pij, & for-
tissimi LVD O V I C I manus inuicta
premit, acribus mētis & ingenij viri-

bus vrges, & acceleras. Sic non Tibi,
sed augustissimo Principi, cuius in-
gentes pro Regni dignitate, & Orbis
tranquillitate labores curis nō inter-
missis leuas, & sagaci consilio pro-
moues, vita quam ducis omnis ero-
gatur, & impēditur. Sed vocibus his,
quas admiratio tui è pectore bonis
omnibus elicit, intercedit moderatio
tua, **CARDINALIS EMINENTIS-**
SIME, nec aliam meritorum pom-
pam, quām regale iudicium admit-
tis, qui multò verius quām ille apud
veteres tam laudatus, nunquam re-
Etè fecisti ut facere videreris, sed quia
aliter facere non poteras. Itaque par-
co verbis liberiùs, & vltra modum
Epistolæ in laudes tuas exerere se

gestientibus. Nunquam tamen par-
cam flagrantibus votis quæ publica
felicitas pro tua prosperitate nos cō-
cipere iubet, & quamdiu vitâ supera-
bo, hærebit penitus infixa pectori sū-
ma tui Numinis veneratio. Quam
hoc ingenij monumento qualis-
cumque, dum maius desiderantem
deficit, ex animo testatam ut beni-
gno vultu suscipias, ad sacras ado-
randæ Purpuræ aduolutus infulas
humillimè supplicat

EMINENTIÆ TVÆ

*Non minus grato, quam stricto obsequij
& obseruantia nexu mancipatus*

S. OLIVA MENILIVS.



CARMINVM QVÆ HOC LIBRO continentur Elenchus.

R <i>Vpella capta,</i>	pag. 2.
<i>Ad Montem Albanum grauis, & indignabunda Admonitio,</i>	4
<i>De Montis Albani ditione, ad Villulam Meniliam Gratulatio,</i>	9
<i>Ionas, Carmen Regium</i>	26
<i>Pijs Maiorum Manibus,</i>	30
<i>Carmen in Berterij Senatus Tolosani Protopraesidis Opus Hydraulicum,</i>	34
<i>In idem.</i>	35
<i>De Mercurio Monrabæo,</i>	36
<i>De Iride Monrabæa,</i>	ibid.
<i>Pretorij Monrabæi inscriptio,</i>	ibid.
<i>De Salsis expugnatis die Martis XIX. mensis Iulij anni M.DC.XXXIX. Epinicium ad Principem Condæum.</i>	38
<i>Ad Eundem, de rebus post Salsularum expugnationem gestis in expeditione Ruscinonensi,</i>	41
<i>Otij sylvestris curæ,</i>	50
<i>Otium sylvestre, Elegia,</i>	66
<i>In natalem Ducis Andegauensis, Carmen.</i>	71
<i>De Natali Regis, & Regiae prolis.</i>	79
<i>De Atrebato expugnato,</i>	81
<i>De eodem expugnato decimâ die Augusti,</i>	82
<i>Otij sylvestris abdicatio,</i>	83
<i>In Nuptias Ducis Enguieni, & Heroïnae Bresææ, ad Eminentissimum Cardinalem Ducem de Richelieu, Carmen,</i>	86

<i>In easdem Nuptias, Carmen Regium.</i>	113
<i>In Gentilitia insignia Eminentissimi Cardinalis Ducis de Richelieu, Carmen regium,</i>	117
<i>In Marchionis Coalini obitum, ad Illustrissimum Galliae Cancelarium Elegia,</i>	121
<i>De Æra obsessa Vaticinum,</i>	126
<i>De Æra expugnata Epinicium,</i>	127
<i>De eadem</i>	128
<i>De Bapalma capta.</i>	129
<i>De Nuptijs Pumissoni Senatoris clarissimi, cum Catharina de Mu-</i> <i>ro veteri,</i>	130
<i>De Nuptijs Marmieffæi Fisci Patroni Clarissimi, & Lucentie,</i>	132
<i>De ijsdem Nuptijs,</i>	ibid.
<i>De Nuptijs Garibaldi Senatoris Clarissimi, cum Berteria,</i>	133
<i>Paraphrasis Latina Elegie Gallicæ à D. de Lingendes pro Ouidio</i> <i>compositæ.</i>	136
<i>Paraphrasis Latina Carminis Gallici in Gentilitia insignia Cardi-</i> <i>nalis Eminentissimi Ducis de Richelieu.</i>	146
<i>Paraphrasis Latina Carminis Gallici de Atrebato expugnato,</i>	148
<i>Paraphrasis Latina Carminis Gallici in natalem Ducis Ande-</i> <i>gauensis.</i>	150
<i>Paraphrasis Latina Carminis Gallici de morbo Ducis Longueuil-</i> <i>læi.</i>	152
<i>Paraphrasis Latina Carminis Gallici, de Rheno à Duce Longueuil-</i> <i>leo traiecto.</i>	153
<i>Ex Gallico N.</i>	154
<i>Oliuæ filio,</i>	155
<i>Ad Eundem,</i>	156
<i>Eidem,</i>	157
<i>De Electione & institutione Octouirum Tolosæ,</i>	158
<i>In Maynardi Musæum,</i>	ibid.

<i>Vlmarij Menili Inscriptio,</i>	159
<i>Menili Fontis Inscriptio</i>	<i>ibid.</i>
<i>Alterius fontis Inscriptio.</i>	<i>ibid.</i>
<i>De piscibus in Menilio stagno colludentibus,</i>	160
<i>De Comitis Suessionis interitu,</i>	<i>ibid.</i>
<i>De Eodem.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Ad Sedani Coniuratos:</i>	161
<i>De Elna expugnata</i>	<i>ibid.</i>
<i>Imperij Romani diuisio sub Honorio, & Arcadio Imperatoribus, versibus Hexametris, & Trimetris Iambicis comprehensa.</i>	164

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag. 8. lin. vlt. placidæ, lege, placidæ. pag. 14. lin. 23.
 sacra lege, sacræ. pag. 44. lin. 14. plaudit, lege, claudit.
 pag. 66. lin. 12. ferâ, lege, ferâ pag. 100. lin. 17. audit, lege
 audit pag. 109. lin. 17. omnes, lege, omnis, pag. 143. lin. 5.
 Ingenisque, lege, Ingeniisque.

AD LECTOREM.

Aspice quanta sacris consurgat gloria Syluis
RICHELII que laude viren! His in-
clyta magna

Ornamenta domus diuino in stemmate pictas
Concessum proferre Trabes, quibus inter inanes
Ventorum fremitus, tempestatumque furores
Fortuna secura polo se Gallia tollit.



SYLVARVM LIBER SINGVLARIS.

THEODORO SVO.

SEmisopitam , & grauioribus seueræ Themidis studijs velut oppressam excitauit Musam recens de Rupella victoria, & in hac tam insigni laurea, suâ lauro me tetigit Apollo, effusâque Numinis indulgentis aurâ totum afflauit. Itaque reuirescente calamo, & in præcordia redeunte calore, qui poëticis æstibus iuueniles animos incenderat, subitaneo quodam impetu eruperunt hi versus, quos ad te mitto, Theodore carissime. Quatuor Octonarijs intravnius periodi ambitum rem omnem complexus um. Primis duobus Rupellam descripsi ferociem, & imperij fræna detrectantem. Totidem sequentibus exhibui oppugnatam & expugnatam. Gratulor mihi, dum opus tam perfectum recenseo, n hunc numerum incidisse, qui perfectionis receputum symbolum, cum hac victoria, fauente cœlo, & conspirante sorte concurrit. Rupellam enim cap-

A.

tam non ignoras die octauâ, & vicesimâ mensis Octobris, anno euntis seculi vicesimo octauo. Intam prospero euentu mirare congruentem fatorum seriem, & venerabundus suspice invicta Christianissimi Regis arma, & Cardinalis Eminentissimi bono publico nata consilia, quibus anno cadente cadit Rupella, & rediuiua surgit sacræ Religionis, & Gallici Regni dignitas.



R V P E L L A C A P T A.

Alio qualis maris Rupella furori
Regibus infidam insano se prabuit ausu,
Dum premit armatis vicinum classibus aquor,
Séque sui tumidam iactat munimine portus:

Rupella Hæretica rupes interrita gentis,
Quæ temerè, ut ponto, sic & tellure rebelles
Attollens animos turres aquabat Olymbo,
Et vasto solidos circumdabat aggere muros:

Rupella, aquoreos patrio quæ sanguine fluctus
Inficiens, sparsisque incestans ossibus agros
Multorum contra sese insurgentia fregit
Arma Ducum, Regumque elusit castra duorum:

Rupella, infando clarum quæ fædere nomen
Gallorum maculans natini oblita decoris

LIBER SINGVLARIS.

3

*Infensis patriæ nuper se iunxerat Anglis
Sacrilego calcans cœlo data Lilia fastu.*

Tandem dum solio incumbens *LODOICVS* aucto
Liligeri attonitis Regni decus inserit *Astris*,
Septa solo, præclusa salo, despectaque cœlo,
Dum vallum premit hinc, illinc dum Regia moles.
Frena fero iniiciens & ahenea vincula ponto
Cingit inauditâ sinuosam indagine portum;
Dum ferrum hinc urget, ferro dum sauior illinc
Tabentes vesana fames depascitur artus;

Ter quinos menses obsessa, potentibus armis
PRINCIPIS inuicti, cui *Mars horrentia belli*
Tela, Deumque pater fulmen lethale ministrat,
RICHELIIQVE, suas *Pallas* cui tradidit artes,
Acribus, aethereaque afflatis Numinis aurâ
Consilijs, domito ruit expugnata furore,
Dum præceps cadit extremi sub tempora Solis
Annus honoratis signandus murice fastis.



ARISTO SVO.

Muit bilem præfecta Montis Albani con-
tumacia, qui Rupellâ excisâ in rebellan-
di proposito peruicaciùs obdurat. Habes
his versibus, Ariste dulcissime, expressum indignan-
tis animi impetum efferuescentem, & quoddam

A 2

velut iræ æstuantis œstrum, quo tam vecordem
vrbem acriùs pungo, & ad meliorem mentem
reuoare contendō. Non debet sibi arrogare hæc
insolens factio, quod de Carthagine retulit vetus
Scriptor; Romanis plus negotij fuisse cum semi-
ruta, quam cum integra. Timebant fata Ciuitatem
nobilissimam ruinæ damnare, propugnante Iunone
Diuūm Reginâ. Non ita se habent erga hanc gen-
tem, quam cœlo infenso reluctantem diutiūs ferre
non possunt. In hac seuera & vehementi obiurgatione,
quâ exspirantem rebellionem laccesso, probabis
sine dubio, Ariste, ciuis optimi affectum,
etiam si Poëtæ numeros, & verba minùs probes.



AD MONTEM ALBANVM GRAVIS, ET INDIGNABVND ADMONITIO.

Rgōne adhuc cæcis animis in criminē perstas
Mons Albane tuo : iacet imo diruta fundo
Armi potens Rupella, tua spes unica gentis,
Et tibi mens immota manet : nec flectere sensus
Indomitos possunt exempla recentia ? nec te
Horrida cognata terrent vestigia cladis ?
Quid struis : aut quâ spe sceleratis ausibus instas

Urbs inimica Deo, Regalisq; amula Sceptri?

Qui conjuratis arma auxiliaria turmis

Tendebant, partes irata per aquora fusi

Deseruere tuas, & toto non minùs à te

Sunt diuisi animo, quām diuisi orbe Britanni.

Non tibi inaccessi sunt propugnacula portus,

Nec circumfusis tibi brachia porrigit undis

Neptunus, cinctamque vadis tegit; undique terrā

Tota pates, ecquid non corda ferocia ponis?

Aspice ut inuicto sunt omnia peruvia Regi,

Qui clementiā captiuum compede frēnat,

Indomitumque suis submittit legibus aquor.

Aspice, ut ipse Deus tanti se Principis armis

Permiscet sōcium, Superūm sacra agmina iungens.

Ille suum celso despectans aethere Regnum

Vrbibus auulis lacerum, sauoque rebellis

Hæreos miserè laniatum hinc, indeque ferro,

Sollicitam tristi percussus imagine mentem,

Dum parat Imperij fractis succurrere rebus,

Liligeras cœlo LODO ICVM immisit in oras,

Justitiā, pietate, armis, omnisque decoro

Insignem, quām lata patet, virtutis honore,

Eximum Franci diadematis ornamentum.

Et sacro Regis lateri plaudentibus Astris

RICHELIVM affixit Romano murice clarum;

Cuius inexhaustas voluens mens ardua curas,

Et belli studijs, atque artibus inclita pacis

Titanum quoscumque valet cohibere furores,
Et premere imperio populos, quibus effera cordi
Seditio, & tortis Bellona reuincta colubris.

Huius consilijs, ô urbs improuida & excors !
Nónne vides quantis assurgat Francica rebus
Gloria ? quam crebris trudatur cladibus Orco
Noxia gens, meritásque luat pro crimine pœnas ?

Cur ergo his edocta malis, instante ruinâ
Non sapis ? & sceleris tandem pertusa nefandi
Cur non uberibus lacrymis, & poplite flexo
Pacem oras ? Regique manus prætendis inermes
Intima murorum, & cordis penetralia pandens ?

Hactenus insano iuuet exarsisse tumuli,
Inque scelus ferro rabidas armasse cohortes.
Hactenus ingentes urbes vastasse, boumque
Sufficiat latos struisse per arua labores,
Pérque domos sparsisse faces, venerandaque Diuum
Sacrilegâ passim temerasse altaria dextrâ.
Sat Furijs, Erebóque datum, melioribus usam
Auspicijs, tibi adhuc si qua est mens, indue mentem.

Te placido exspectat Regis Clementia vultu
Imperijs prono subeuntem pectore leges,
At grauis indocilem manet exitus : Eia age duros
Flecte animos, meritisque nocens caput eripe fatis.

Instat summa dies cœlo labentibus annis
Vibs Albo de Monte trahens quæ nomen auitum
Prarupti de more iugi caput æthere tollis,

*Quâ, nisi te obsequij regalis cura remordet
 Murorum & domuum depresso vallis ad instar
 Æqua solo, & latè fumantia culmina cernes,
 Et tibi pro blandis laribus, tectisque superbis
 Quæ sors prisca dabat, solum superesse Salictum,
 Stemmate quod patrio dirum tibi surgit in omen,
 Exitij miseri haud miserandâ sorte videbis,
 Non MONTIS posthac ALBANI nomine gaudens,
 Horribiles atro vultus fœdata colore,
 Quem tibi terribilis suffundet ahenea belli
 Machina, fulmineos eructans fauibus ignes.*

Mens
Alban^s
falices
præfuit
in sté-
mate.

ELEVTHERIO SVO.

De libertate sub finem mensis Augusti, au-
 gusto planè augurio, recuperatâ, Villulæ
 Meniliæ aliquot versibus gratulor. Hanc
 illa miserè perdiderat vicini Montis Albani in re-
 bellione atrociter obstinati quotidiano incursu, &
 frequenti deprædatione. Quàm dolui inter has bac-
 chantis populi furias herediolum, quod sub finibus
 Montis Ætij positum est, huic vrbi adeò propin-
 quum, & quàm grauiter incusaui hanc viciniam
 quæ fundo meo multò perniciosior illâ, de qua olim
 Poëta questus est. Succurrit tandem fractis rebus

Deus Optimus Maximus, dato Galliae RICHELIO,
qui dum magno Regi LODOICO magnus mi-
nister assidet, subactis vrbibus quæ imperij iugum
excusserant, & excisâ Rupellâ haec tenus indomitâ,
rebellionis infandæ reliquias in Montis Albani sinu
spirantes, non vi & cruento Marte, sed prudentiæ
politicæ artibus propè diuinis feliciter consumpsit,
& pace per vniuersam Galliam suis curis, & labo-
ribus indefessis quæsitâ, agris meis otia iucunda fe-
cit. Huius rei tam bene gestæ nomine dum Villulæ,
calamo exsultante, gratulor, iuuat tanto Heroi,
quem monstris domitis suum velut Alcidem omnis
Gallia colit, non in medio nemoris modò, sed & in
imo pectore aram ponere, quæ præcipuâ quâdam
religione mihi semper dicetur, & erit semper maxi-
ma. Huic duos superaddo versus, qui chronologicis
literis annum referunt, quem tanti facti gloria effert.
In fronte loci, versus Heroicos inscribo oleâ simul
& lauro redimitos, quibus illi, *ob ciues seruatos*, to-
tum Esculetum consecro. Grata erit tibi ingenua
hæc noningrati animi in libertate restituta testatio,
Eleutheri suauissime, qui beneficiorum æquus æsti-
mator libertatem rem inæstimabilem cœles, & gra-
tijs dignam immortalibus iudicas. Nec videbitur
iniucunda, vt reor, syderum quam meo carmine
notavi, ad hanc felicitatem consensio, dum tecum
reputabis rabidum Leonem cœlo cadentem plac-
cidæ

cidæ Virginis locum facere, quo tempore Parthenio ARMANDO Montem Albanum subeunti cedit impacatae rebellionis furor, qui diu in hac vrbe exarserat. Placebit & tibi mysticus rerum sublunarium, quem non omisi, cum cœlo ad huius felicitatis notam concursus. Siquidem dum benignus Ægypti parés Nilus, ceteris fluuijs intrà ripas alueo tenuato reductis, effundit se per agros, & Phariam tellurem amne secundo irrorat, in hac communi aquarum detumescétiū inopia circumspicies beneficū ARMANDVM, mirabilis more Nili arentes populos largo verbi flumine vbertim rigantem, eodemque tempore quo frugiferis messibus implentur horrea, fidei amplam segetem per Hæreticam urbem spectabis assurgere.

DE MONTIS ALBANI
deditione, Ad Villulam
Meniliam Gratulatio.

 Illula, quam Montis positam sub finibus Aet¹
Bissenus patria signat ab urbe lapis;
Quam blandi rutilo spectat Titanis ab ortu
Nobilis ilicea Regia sylua coma;
Occidua de parte plaga quam respicit ingens,

Qui nitido præceps amne Garumna fluit :
 Villula, quæ planis spatioſa per aquora campis
 Campani frueris conditione ſoli.
 Quam Canis aſtuo duplex defendit ab igne
 Vmbriferum attollens lucus in aſtra caput :
 Quam gemini arguto reſonantes murum fontes
 Vndâ ipſo vitro ſplendidiore rigant :
 Pampineis per utrumque latus quam uitibus ambit
 Bacchus, purpureo ſpumeuſ ora mero ;
 Quam per opima beat flauenti ingera meſſe
 Caſariem multo farre reuincta Ceres :
 Gemmea cui late rident in gramine prata,
 Cui picturatis area texta quadris :
 Tonsilis & varia buxi decorata figurâ
 Artis Dædalea nobile ſurgit opus :
 Cui Zephyro ſpirante noui rutilantia Veris
 Flora per herboſam munera ſpargit humum :
 Cui Pomona ſuis cumulans viridaria donis,
 Autumni faciles larga ministrat opes :
 Squammigeri ludunt cui per viuaria pifces ,
 Cui ludit nemorum per loca nota lepus.
 Villula grata patris ſtatio, iucundus auorum
 Seceſſus, ſtudijs dulcibus apta quies ;
 Mitia qua noſtris præbebas otia Muſis,
 Dum pax Menilios alta tenebat agros :
 At nunc infando belli concuſſa fragore ,
 Desertoſque gemens cernere iuſſa lares ;

Dum Monti Albano nimium vicina rebelli

Tota pates populis obuia præda feris.

Villula, quam miseris hostis conterminus aruis

Diripiens, iuris non sinit esse tui.

Cuius atrox tectis infert incendia miles,

Sternit & infensa spica rura manu.

Quæ profugis, prob triste nefas! spoliata Camænis,

Terrifico Martis pressa furore iaces.

Eia age mutatis sub amico sydere fatis

Tolle animos, latum Villula tolle caput.

Illa tui labes, & ineluctabile fundi

Exitium, damnis haud saturata tuis,

Illa rebellantum caput insuperabile bello,

Vrbs tetrâ Eumenidum concita in arma face.

Quam neque Rupella feralis tangit imago,

Nec gentis terrent aspera fata suæ.

Regia quam validis acies dum mœnibus instat,

Et crebro horrisoni fulminis are quatit,

Obsidione graui nequicquam pressit, & ipsis

Ictibus est vires addere visa nouas.

Artibus ARMANDI, quibus ipsa Pallada vincit,

Expugnata animos exuit illa truces.

Qui ásque armis clausit bellatum, has gaudet inermi

Praesul's eloquio se reserare fores.

Primores illi occurunt, oleaque reuincti

Prætendunt geminas supplice voce manus.

Pacem orant, veniamque petunt, Regique fideles

Se fore cum summa relligione vount.
 Illi pauca refert Heros, sed qualia nusquam
 Facundo Pylius protulit ore senex.
 Mirantur non mortali sermone loquentem
 Mortalem, tanto verba lepore fluunt.
 Ille urbem ingrediens magnâ stipante cateruâ
 Sublimi graditur conspiciendus equo.
 Detrectatque decus pompa solenne, caputque
 Vmbellâ refugit tectus inire viam.
 Magnos esse viros monstrat delata, sed ipsos
 Majores eadem gloria spreta probat.
 Scilicet ille umbram vani aspernatur honoris,
 Cui solidis constat mens pretiosa bonis.
 Fortunam virtute domans, qui catera vincit
 Se quoque composuâ vincere mente solet.
 Egregio quantum decus incidentis ab ore
 Surgit ! Et in vultu gratia quanta sedet !
 Quanta serenata maiestas fronte renidet !
 Sydereis quantus fulgor inest oculis !
 Haud aliter Delum subiit Pythonem perempto,
 Ambrosiam lauro cinctus Apollo comam.
 Non alio vultu dormitâ feritate Gigantum
 Dicitur Altitonans exhilarasse polos.
 Letitiâ urbs effusa ruit, fluit undique longo
 Agmine anhelantum prona caterua senum.
 Cum pueris teneræ volitant ad tecta puella,
 Pracipitant iuuenes quâ licet ire gradum.

Matribus atque viris undantia compita feruent,
 Omnis sub pedibus semita trita gemit.
 Ut videre Ducem, famam qua mira ferebat
 Ore tamen dicunt rem tenuasse suo.
 Maius quod cupidis prabet se obtutibus exstat,
 Quam quod grande volat cuncta per ora decus.
A R M A N D I in vultu populus defixus euntis
 Aspectu expleri mentem, oculosque nequit.
 Miratusque habitum, faciemque, silentia rumpit,
 Vocibus & latissima lingua recludit iter.
VIVAT REX, VIVAT RICHELÆVS, pectore ab imo
 Exclamat studio famina, virque pari.
 Non tantum inuento clamorem emittit Osyri
 Ægyptus, Pharijs nobilitata vadis.
 Nec tantum piceis qua gens immersa tenebris
 Noctis Hyperborea tardia longa tulit,
 Vocibus exultans repetitis aethera pulsat,
 Solis ut ignivomam cernit in orbe facem.
 Plausibus urbs omnis resonat, festisque per auras
 Certatim reboant tecta, viaque sonis.
 Tarnis ad hac placido latum caput exerit alueo,
 Gratiior & properis in mare currit aquis.
 Ut magni Herois laudes, quamque alluit urbis
 Orbe celer toto gaudia iusta ferat.
A R M A N D O subeunte urbem, subit aurea cœlo
 Pax, subeunt Charites, & subit alma Fides.
 Accurrit Themis, & sacri reverentia iuris,

Ingeniusque subit cum pietate pudor.
Abscedunt Furia, & ciuibus effera monstros
Bellona in Stygias præcipitatur aquas.
Quæcumque incedit, gaudent exsurgere flores,
Quos violare suo Sirius igne timet.
Spes aut melioris adest, & hiantibus infert
Arridens plenâ lilia grata manu.
Arma silent, regnant leges, ubicumque sub ipso
Milite deposito tuta furore quies.
In geminatur Io, lateque per aethera voces
Crebrescunt, Pean astra subinde ferit.
Funditur urbs laudem in Regis, laudemque Ministri,
Plebs omnis plaudit, plaudit & omnis honos.
Interea sacram pius Heros aduolat edem,
Et magno properat soluere vota Deo.
O quantum exultat tanto sub vindice Clerus,
Quem sibi sollicitum sentit adesse patrem.
Tota superiecto fumant altaria thure,
Cantibus, atque hymnis cymbala mixta sonant.
Laudamus te Christe Deum, Dominumq; fatemur,
Intonat angelicis musica turba modis.
Hec dum corde praet RICHELÆVS muricis ostro
Irradiat sacra culmina celsa domus.
Sed tanti Herois pietas, qua fusæ per aras
Emicat, Assyrio suavius igne nitet.
Mox ubi rite Deo grates cum laude peregit,
Fronde triumphali limina compta petit.

Quà domus alta Nouam despectat cōminus Vrbem,
Et refluo vndantem fonte tuetur aquam.

Ære patent bifores, solidoque è robore valua,
Sertaque adornato laurea poste gerunt.

Huc se infert medium multis comitantibus Heros.
O quantum hoc felix hospite facta domus !

Turba salutantum plenā tum fluctuat aula,
Pronaque ad officium Curia tota ruit.

Adsumt demissō trepidantes culmine fasces,
Purpura fusa solo supplicis urbis adest.

Ille, sua cui cura modo lenire decoro
Fortuna radios qui sinè nube micant,

Fronte hilari, blandis oculis, vultuque benigno
Excipit admissos, alloquiturque viros.

Et miseris melius spondet sub Principe fatum,
Quem patria agnoscit Gallica terra patrem.

Qui se præcipue felicem hoc iudicat uno,
Felices regno quod facit esse suo.

Sic dum supplicibus sermone indulget amico,
Quos tanti sceleris pœnituisse videt,

Sic maiestatem placido dum temperat ore,
Omnia vi pollens illice corda trahit.

O fortunatos tali sub Numine ciues,
Cuius ab aspectu vita, salusque fluit !

Sed non hac vobis tantum datur ora tueri,
Quæ placidi vultus sunt mage grata Iouis.

Sorte pari fruitura, cito Provincia passu,

Confertoque ruens agmine tota venit.
 Accurrunt urbes, pagique, Albanaque gentes
 Non secus ac Clarij limina, tecta petunt.
 Delecti summa Proceres de sede Senatus,
 Quos Astraea sua velat honore toga.
 Berterio mulcente sacras affatibus aures
 Ordinis augusti vota, precésque ferunt.
 RICHELIVMQUE sacris, quas polluit Hæresis, aris
 Gratantur priscum restituisse decus.
 Et pacem retulisse solo, cui cede tepentes
 Eumenides tortis incubuere flagris.
 Adsunt Octouiri celebrem qui Palladis arcens
 Liligeræ Themidis sub ditione regunt.
 Et patriam ad genua aduoluunt cum fascibus urbem,
 Quæ gaudet muris exsiluisse suis.
 Nec Capitolina meminit fastigia sedis,
 Dis carum Albana dum videt arce caput.
 Hæc inter proni monumenta insignia cultus,
 Quo cælo, & Superis magna Tolosa placet,
 Aduolat Aoniâ redimita Academia lauro,
 ARMANDIQ; nouem sifit ad ora Deas.
 Excipit has Phœbo melior, verbisque loquatas
 Romuleis Latij fluminis imbre rigat.
 Mirandosq; auicâ sermones aure bibentes
 Nectaræ fandi melleus arte capit.
 Non unquam tales veterum veneranda Quiritum
 Majestas docto protulit ore sonos.

Non

Non illi equalis Romana, vel Attica Syren,

Non similis Suada, Mercurijq; lepos.

ARMANDI eloquio crescent oracula Regis,

Consilijs quantum Gallica sceptr'a vigent.

Talia dum latus cernit miracula Titan,

Et nitidum extento protrahit axe diem,

Nox subit, & rutilos rosea cum luce iugales

Cogitur aquoreis mergere Phœbus aquis.

Non illum Oceani coniuia larga, nec alma

Tethyos amplexus, Nereidumque iuuant.

Grata Deo ARMANDI sub fluctibus ora recursant,

Et queritur noctis tardius ire rotas.

Jllum equidem terris Solem superesse relictis

Non latet, ARMANDI dum viget orbe inbar:

Sed sibi cum tanto socium concurrere Sole

Mens auet, & iuncta luce beare solum.

Ocyus inuisis Nerei se proripit vndis

Per liquidum aligeris athera vectus equis.

Cernitur ALBANO lux primū albescere MONTE,

Pulsa fugit tenebris Nox adoperta caput.

Lampade dum populos Titan radiante reuist,

Et roseam gratā spargit in urbe comām,

Ardet RICHELIVS sublime reuisere Templum,

Pérque aras humili fundere corde preces.

Vt festina graui centrum petit impete tellus,

Vt spharam properans ignea flamma subit;

Segnius haud, Christi cui per præcordia fusus

*Dulcis amor vasti ponderis instar inest ;
 Ignea cui mentis vis ad caelestia nata,
 ARMANDVS fanum religiosus adit.
 Hic ille auratis redimitus tempora vittis,
 Et lapidum Eoo totus ab igne micans.
 Dalmatici radijs quem circumtexta metalli,
 Attalicaque chlamys nobilis arte tegit ;
 Magna salutiferi celebrat mysteria Christi,
 Et multo cinctus Praesule sacra facit.
 Absentemque diu diuinis aethere verbis
 Aduocat, atque aris allicit ore Deum.
 Angelico stipante choro, mirantibus Astris
 Aetherea illapsum numen ab arce venit.
 Quem non vasta poli capiunt conuexa Tonantem
 Parvula sacrati panis imago capit.
 Dum diuina latet tali velata figurâ
 Maiestas, grauidâ pectora nube subit.
 Grata hominum generi nubes, meliorque sereno,
 Que Iustum cœli rore repleta pluit.
 Fausta dies, quâ RICHELIVS sine Marte, subacto
 ALBANO Christum MONTE reducit ouans.
 Quam bene concordi respondent omnia cœlo !
 Et quantu[m] ARMANDO sydera blanda fauet !
 Dum Phœbo peragrante poli rutilantia signa
 Augustus supero mensis ab axe cadit.
 Hoc opus augustum, augusto sub Rege, Minister
 Augustus simili perficit augurio.*

Dum pia virgineo rabidum premit ore Leonem
 Erigone, & rutila solis ab arce fugat;
 Pellit ab ALBANO bacchantem MONTE furorem
 Illas & ARMANDVS virginitatis bonos.
 Dum fluuijs nimio cœli arescentibus astu
 Niliaca Ægypti rura rigantur aquâ.
 Dum spicis redimita Ceres sola messibus implet,
 Agricolamque Aestas turgida farre beat.
 Arentes populos Nili septemplicis instar
 RICHELIVS verbi flumine suave rigat.
 Ac domitam fidei surgit seges ampla per urbem,
 Nil ubi quam steriles nuper auena fuit.
 Ergo quæ nostrum turbauerat impia tractum,
 Quæ tam dira tui Villula caussa mali,
 Vrbs inimica Deo, Regique, ferocia ponit
 Corda, suaque volens proïcit arma manu.
 ARMANDOQ; instante, scelus pertusa nefandum,
 Imperij gaudet prona subire iugum.
 Æratis operosa ruunt munimina pinnis,
 Procumbunt trepido mœnia vasta solo.
 Molibus imposta moles, ut Pelion Ossa,
 Fulmineo impulsa Nestoris ore cadunt.
 Lunata ARMANDVS iubet euancere valla,
 Virtutis radijs qui mage Sole micat.
 Cunctaque pacis amans abolet monumenta furoris,
 Nec belli infandas fert supereffe notas.
 Arte lyræ Amphion Thebanas condidit arces,

Et tantum Harmonia viribus egit opus.
Eloquio potiore lyrâ dum FRANCICVS HEROS
Hæretica muros urbis adæquat humo;
Harmoniam terris, cœlo plaudente, reducit
Pacifer, & nobis aurea secla refert.
Gaude ergo, & partâ RICHELÆI munere pace
Incipe felici Villula sorte frui ;
Quaque tibi placida pius Heros traxit ab ethra
Aurea falciferi secula carpe senis.
Da mihi iucundum secura per arua soporem,
Menilia arguto quâ strepit unda pede.
Desueta urbanis misce solatia curis,
Sollicita mulcens munia dura toga,
Subductumque forensi opera, turbaque clientum
Excipe me tenero Villula blanda sinit.
Et vos deiecta mea maxima cura Camæna
In priscum latâ fronte redite nemus :
Ac magni ARMANDI in laudes, cui sydera plaudunt
Tendite dulcisona fila canora lyra.
Et cantu, fidibusque diem celebrate nitentem,
Quem tanti illustrant splendida facta Ducis.
Dicite facundo Cineas quid Francicus ore,
Et quid Palladiâ fecerit arte potens.
In mare dum gressu curret properante Garumna,
In sola praruptis dum cadet umbra iugis :
Dum Satyris cernet mixtas per rura Napaas
Clara recurrentes ducere Luna choros.

Dicite RICHELIVM noctésque, diésq; Camœnæ,
Tale decet terris esse perenne melos.

*Se sociam vestris adiunget cantibus Echo,
Se vestris comitem vocibus aura dabit.*

*In partem veniet salientum murmur aquarum,
Concentique auium turba canora suo.*

*Nympharum formosa cohors praeunte Diana
Gaudebit vestris se sociare modis.*

Dicite RICHELIVM noctésque, diésque Camœnæ
Tale decet terris esse perenne melos.

*Faunorum, Dryadumque pater sua Manala linquens,
Pan vestris mistus gestiet esse choris.*

*RICHELIIQ; sacro celebrans praconia cantu,
Saxa, trucésque feras in sua verba trahet.*

*Et teneris, quas docta manus compegit, auenis
Hac sola in medijs ludere amabit agris.*

*Excipient blanda aurita modulamina Quercus,
Lucidique aerio vertice in astra ferent.*

Dicite RICHELIVM noctésque, diésque Camœnæ
Tale decet terris esse perenne melos.

*Phœbus adest vernante comâ, Pindoque relicto
Auratam properat sollicitare lyram.*

*Qualis erat non cum viridi proiectus in antro
Admeti teneras per iuga pauit ones.*

*Sed qualis, quantisque alto cum latus Olympo
Victorem cecinit post fera bella louem.*

Talis in ARMANDI meritos assurgit honores,

Et meliora leui pollice plectra mouet.
 Cernitis ut pulcher veniat, cultusque, manuque
 Sublatâ vestras increpet ille moras.
 Dicite RICHELIVM noctesque, diésq; Camœnæ,
 Tale decet terris esse perenne melos.
 Tûque tui seclî decus, exemplarque futuri,
 Quo fidei & Regni stat rediuius honos.
 Ingens Romulei columen RICHELÆE Senatus,
 Praefule quo Tyrinus se mage tollit apex.
 ARMANDE, edomito per quem scelerata furore
 Pralia in infernas pulsa abiere domos:
 Quo Francis optata diu pax aurea terris
 Cum prisca redijt relligione Patrum.
 Optime diligenter cælo date finibus Heros,
 Et patrio potius quam tibi nate solo:
 Ingenij mage quam Fortuna fascibus ingens,
 Gloria Pierij, deliciumque chori.
 Magne animo, simili vita per cuncta tenore,
 Et stabili æternum commemorande fide.
 Insignis pietate, Dei clarissime cultu,
 Aethereis Sophia nobilitate bonis.
 Justitia custos, legum imperterritæ vindex,
 Assertor decoris Francica terra tui.
 Inclite monstrorum domitor, generose nocentum
 Ultor, & immeritis ara benigna reis.
 Virtutis vera specimen, cui maxima dotes
 Pallas, & ipse artes cessit Apollo suas.

Præsidium socijs indigna, nefandaque passis,
 Spes hominum, summi curaque, amorque Dei.
 Infra quem laus cuncta iacet, cuiusque decoro
 Nil dignum totus nomine Pindus habet.
 Fer precor, ut recidiua tuis qua Villula curis
 Surgit ab hostili libera facta iugo,
 Nominis illa tui per secula seruet honorem,
 Téque suum numen religiosa colat.
 Fas mihi sit, quæ sylva solo sese altius effert,
 Quaque patet querens gratior umbra comis,
 Fas aram struere, atque aræ superaddere carmen,
 Delendum nullo per vaga secla situ,
 Quod curis RICHELÆE tuis, magnique peractum
 Viribus ingenij testificetur opus,
 Atque annum, tanquam clarat quem gloria facti,
 Talibus incisum signet in ære notis.
 RICHELlo faCite ô nyMpha, qVlbVs In CLytVs heros,
 QVa peperit FranCIs, ot la grata faClt.
 Hac medio in nemoris numerali condita versu,
 Imparibusque iuuat pangere verba metris.
 Ast in fronte, pares quibus alto innecta cothurno
 Calliope Heroüm scribere facta dedit,
 Paciferæ incinctos olea, victricæque lauro
 Inscriptet tales entheæ Musa modos.
 Hoc tibi qui Francum quæsitâ pace per orbem
 Seruasti trepidos media inter funera ciues,
 Argutum nemus, illicibus quod surgit opacis,

Chara-
 teres
 Chrono-
 logici
 quibus
 signatur
 annus de-
 ditionis
 Montis
 Albani
 qui à re-
 parata
 salutis
 mille si-
 mus sex-
 centesi-
 mus vi-
 cesimus
 nonus.
 M CCC
 CC LLV
 VVVII
 IIIIII.

Vernantique comâ rutilantia sydera lambit,
 Faunorum, & Dryadum, quibus otia blanda dedisti,
 Mistus Oliua choris, cultus insigne perennis
 Sacrat, & hos lauro versus, oleâque reuinctos
 Virtutis RICHELÆE tuæ, quâ Gallia cœlo
 Surgit ouans, primo monumentum in limine ponit.



PHILOTHEO SVO.

Seuera est admodum lex Carminis, quod apud nos Regium vocatur. Vincitur quâdam veluti compede, intercalari versu quinis vicibus repetito: concluditur totidem Decadibus intrâ singulorum intercalarium ambitum: & circumfuso non interruptæ Allegoriæ inuolucro ingeniosè obducitur. Tanti verò hîc æstimatur, ut Poëtici certaminis, quod magno politiorum ingeniorum concursu annis singulis mense Maio Tolosa nostra celebrat, præmia ad illud, posthabitatis alijs poëmatijs, specent ex maiorum instituto. Hunc morem, Philothee dulcissime, quidam magis mirantur, quâm laudant, plures licentiùs carpunt, & huiusmodilegibus diuinis Poëtarum ingenij que runtur iniici vincula, quæ sacrum impetum cohibent

bent, quo agitante Numine, & liberiū euagante
stylo in altum feruntur. Mihi patrios ritus non ve-
nerari piaculum est, nec videtur dissentaneum se-
uerioribus nexibus adstringere carmina, quæ hoc à
propria natura habent, ne sint soluta. Certè si paulò
durior censeri potest ista, quæ versibus imponitur,
conditio, linguam illa Gallicam imprimis onerat,
quæ paribus identidem recurrentibus rhythmis ar-
etatur, & verborum similiter cadentium, quæ ad
propositum respondeant, inopiâ premitur. Melius
agitur cum Quiritium sermone, qui ab hac neces-
sitate liber, non verbis modò & numeris, sed & re-
bus ipsis consulere potest, saluâ poëtici styli digni-
tate. Amauit Græcia, & Latium hoc metri genus,
quod quidam inter Amœbæa reposuerūt. Nos ei ti-
tulū cōmenti sumus admodùm superbū, & propter
quem vadimonium deserī possit, vt ille ait. Hoc
insuper, quod in rebus inuentis fieri amat, adieci-
mus, vt sub diffusa Allegoriæ nube certo versuum
numero concludatur, quod huiusmodi figuræ ex-
pers nullos apud veteres sibi statuebat terminos.
Non est absolum métrum istud, quod cœle-
stia tractat, quinque Decadibus contineri, cùm to-
tidem zonæ cœlum teneant. Ad hunc modum dum
Ecclesia sacræ Resurrectionis annua mysteria colit,
fluxit mihi carmen incalescente diuini amoris fer-
uore, quo Christum prostratâ morte rediuiuum

sub Hebræi vatis imagine celebro. Hoc tibi
habe, Amice pijssime, quod mei memoriam ani-
mo tuo renouet, dum omnia gratiæ simul & natu-
ræ concurrentis beneficio renouantur.



CARMEN REGIVM.

Ionas.

I Cclarum Aonio celebrabit Ariona cantu,
Quem maris in tumidas deiectu naue procellas
Ceruleus vexit sinuosa per aquora Delphin,
E que salo placida incolumem tellure recepit.
Illi Telemachus sola dum ludit in acta
Aequoreis demersus aquis, terraque fauentum
Redditus auxilio Delphinum, nobile vatis
Carmen erit, mihi dum maior se prabet Apollo,
Et pia sydereæ veniunt ad carmina Musæ,
Materiam altisono gratam dabit ore canendi
Viuifica Ceti Ionas seruatus in aluo.
Vrbs opibus, celebrique fuit clarissima famâ,
Quam Nîmus Syria regnator & arbiter ora
Marmoreis structam cœlo se attollere maris,
Aeternumque suo voluit de nomine dici:

Illic prava bonos mores populata libido
 Numine despecto, & vitio regnabat ouante.
 Jamque urbi supera méritum impendebat ab arce
 Exitium, si non per inhospita viscera piscis,
 Numine dante viam, ciues meliora secutos
 Virtutis, cœlique pio inflammâset amore
 Viuifica Ceti Ionas seruatus in aluo

Ille sacer vates, magno cui numine plenam
 Infundit mentem Deus, & ventura recludit,
 Posthabitâ Tarsum tendit per vela Ninus.
 Fata obstant, subita exoritur bacchantibus Austris
 Tempestas, imoque ciet placida aquora fundo,
 Blanda serenati facies umbratur Olympi,
 Ad Styga nunc premitur ponto vaga puppis biante,
 Nunc luctante freto pauitantia fertur ad astra,
 Nautarum gelidos ingens tremor occupat artus:
 Interea placidum carpit per membra soporem
 Viuifica Ceti Ionas seruatus in aluo.

Excitus è sonno vates Hebreus inertis,
 Sensit ubi horrificum cœli, pelagiique fragorem,
 Et lacera aspexit nutantis carbasa pinus,
 Sponte laborantem nimio sub pondere puppim
 Subleuat, iratoque audet se credere ponto.
 Vatis atrocem animum tantum in discriminem euntis
 Mirantur nautæ, placat tumida aquora Triton,
 Condit & insanos antro pater Æolus Euros,
 Intrepido ut subiit spumantes pectore fluctus

Viuifica Ceti Ionas seruatus in aluo

*Non perit aquoreo demersus gurgite Vates,
 Excipit hunc pistrix, cacique recondit in aluo,
 Hic ille athereo Diuumque, hominumque parenti
 Vota, precésque pio supplex dum pectore fundit,
 Tres luces, caca totidem caligine noctes
 Innectus Ceti gremio vada cerula sulcat;
 Mox inde egestus superas in luminis oras
 Assyria properans subit impia recta Niniues
 Illa suum pertusa scelus deuota Tonantem
 Invocat, hanc illi sacro mentem invicit ore
 Viuifica Ceti Ionas seruatus in aluo.*

ALLEGORIÆ EXPLANATIO.

HUmano generi scelerum atrâ tabe pereſo
 Comparat infandam vatis pia Musa Niniuen;
 Quæ Ionam Ceti aliuis habet, gestatque per aquor,
 Incolumemque trium post interualla dierum
 Reddit in athereas populis mirantibus auras,
 Hac sacri est tumuli, Christum qui texit, imago:
 At CHRISTVS tumulo inclusus, cœloque receptus,
 Post totidem luges, hilari maria aspera vultu
 Penarum subiens, mortem dum querit amaram
 Ut seruet miseros, ille est quem carmen adumbrat
 Viuifica Ceti Ionas seruatus in aluo.

EVSEBIO SVO.

EN tibi ferale carmen Maiorum memoriæ sacrum, Eusebi colendissime. Genus pietatis est sepulchorum meminisse, & ad religionem pertinet pijs Manibus aliquod monumen-
tum consecrare. Ità parentibus simul & nobis,
quod debemus rependimus officium, & dum illos
quos oculis eripuit obitus, menti subijcimus, subit
cogitationem humanæ sortis conditio, quæ propo-
sitâ vltimi fati necessitate bene viuendi legem im-
ponit. Porrò non est quòd híc elegantiam, non
est quòd cultum, & nitorem quæras: non decet
luctum habitus ad speciem compositus, & vt rebus,
ità & verbis nox atra mortis colorem aufert & ve-
nustatem. Auorum nomina & titulos breui ambi-
tu continent hi versus, & funereum sepulcri fami-
iliaris inscriptionem tabulæ æneæ insculpēdam præ-
ferunt. Inculti licet & inconditi placebunt tibi pro-
cul dubio, cui assiduè philosophanti placet mortis
recordatio, cui religio cordi est, & pietas in deli-
cijs. Sanè non inconcinnè inter sylvas repositos cé-
febis, cùm tumulos in lucis & nemoribus sitos

olim fuisse memineris, & arborum diffusiores umbras tegendis defunctorum umbris magno studio per maris pericula quæsitas.



PIIS MAIORVM Manibus.

Hoc tumulo Iani cineres conduntur Oliue,
Regia magnanimo quem pectore iura tuentem;
Cecropique fauos fundentem mellis ab ore
Docta Tolosani mirata est turba Senatus.

Huic frater Franciscus erat, quem publica fisci
Curia Tectosagum curantem commoda vidit,
Audijt, & stupuit Regni pro iure loquentem,
Densaque flexanimâ vibrantem fulmina linguâ.
Ambobus pater Amelius melioribus annis
Progenitus, vastis patriæ quem finibus ora
Iura, Senescalli vice, dantem legibus aquis
Lata suo tenuit gremio, fuitque Tolosa.

Bernardus Pater Amelio de gente vetusta,
Quem Parlamenti prima incunabula nostri
Purpureos inter Proceres videre sedentem;
Qui Patrum primus Pater ipse iubente Senatu
Pertulit ad Regem mandata, aulamque subiuit.

*Ardua diligeri quā stant Palatia Regni,
Principis aspectu simul, affatusque potitus.*

*Illi nativo germani fædere iunctus
Guillelmus, sacris quem regia purpura vittis
Addita per populos duplici insignibat honore,
Praeful Electensis Diuum dum sacra ministrat,
Dumque hominum librat nutantia iura Senator,
Egregius Superum pariter, Themidisque sacerdos.*

*Ante omnes Iani proauus maternus Oline
Guibertus Rufus, quem publica pagina prodic
Bissenos inter Proceres à Principe lectos
Palladiam Tyrio Themidem dum murice vestit
CAROLVS & sancti decorat ditione Senatus
Judicio rixas primum sedasse forenses,
Mox illum, cùm Praesidibus clarissimus Ordo
Deficeret, populi magnâ accurrente cateruâ
Iustitia reserasse fores, quas annua blandi
Otia Septembbris defesso iudice claudunt;
Tumque alio è solio facunda concita lingua
In circumfusam versantem flumina turbam
Pristina iuridicos reuocasse ad munia Patres;
Et iuramenti sacris strinxisse Patronos
Nexibus, in patrias renouato fædere leges.*

*Maiorum hac serie, & propriâ virtute decoro,
Qui legum rectâ ratione anigmata doctus
Soluere, caussarum sub iudice fata diremit,
Natus Alexandro Simon genitore, bonisque*

Ominibus superas in luminis editus oras,
 Martino dum sacra dies solennibus annum
 Judicijs aperit: Simon, quem nomen & arma
 Menilia stirpis decreta supraea paterna
 Ferre iubent aviae, proauus quem clarus honestat
 Petrus Menilius, regalis in ordine eodem
 Curator fisci, Musarum cura, decusque;
Quem Baptista viris illustribus additus ornat,
 Augusto solitus grauiter pro Rege loquendo
 Imperij primum trahere in sua verba tribunal:
Quem dignus cingi Lauretus tempora lauro,
 Et quem Sarratus Sarrano clarior ostro,
 Materni decorant augentes stipitis umbram
 Ambo suis placida moderantes lege Senatum
 Temporibus, rutiloque caput diadematè cincti,
 Reddentes trepidis Astrææ oracula Volcis.

Ille unus tanta Simon de gente superstes,
 Maiorum titulis, & per decora ardua legum
 Non interrupto præclarus honore togata
 Militia, similem seruant dum fata tenorem;
 Ille tot exemplis in auitam assurgere famam
 Excitus & tantis monitoribus ire per altum,
Quem nuper primum fisci videre patronum
 Rostra Senescalli, quem nunc veneranda Senatus
 Conscriptis Patribus permixtum Curia cernit,
 Et trunco insertum ramum felicis Oliue
 Manibus his dum se sociari in marmore prisca

*In vita aqualis, necnon in funere sortis
Exspectat, memori fara ultima mente revoluens
Supremum hoc subito Monumentum carmine ponit.*



ALCINOO SVO.

PETIS à me, Alcinoë dulcissime, vt vatibus nostris Monrabæi suburbani hydraulicum Opus vario carmine efferentibus , aliquid & ipse proferam eiusdē styli. Aquarūm huiusmodi, quæ pluribus per subterranea tubis arte circumductæ salientibus riuulis in auras prorumpunt, elegans & amoena descriptio ad me non spectat. Illos tangit hæc cura quibus Pierides ora Castalijs aquis vber-tim proluunt. Me procul ab Helicone positum , & Musis auersum, stridentibus legicrepis , & insaniēte foro iudiciariæ contrecuersiæ, & litteræ illiteratæ im-plicant. Pareo tamen iubenti, Lectoris graue supercilium minùs veritus , quàm vel leuem amici offenditionem, cuius animus ad omnem sensum doloris ar-gutus. Dum morem gero venit in mentem populos cum aquis, & Themidem cum Thetide non modicā habere cognitionē. In hac ego cogitatione defixus, calamo indulgente lusi ad vndarum colludentium

strepitum, dum Berterium qui populos iudicijs regit aspirante Themide, ostendo non absimili imperandi sorte aquas etiam certis legibus, annuente Thetide, moderari. Inter hæc Mercurium loci genium non omisi, cuius ab ore fluctus erumpunt, & in altum feruntur. Iridem, quā radij Solis ad vndas certatim per aëra euibratas repercussi exhibit, admiratus sum. Nympharum, quæ liberis sedibus eructæ hoc loco includi gaudent, vincula & nexus libuit contrectare. In his omnibus expressam Eloquètiæ quæ in Berterio spirat imaginē veneror, & dum tam iucundi Prætorij limini laureato inscriptionem appingo, carmini meo limitem statuo, qui nullum in amicitia pono.

IN BERTERII, SENATVS Tolosani Protopræsidis, Opus Hydraulicum, Carmen.

QVI patrum regit augusto sub Rege Senatum
Berterius, insta qui diuidit omnia lance,
Qui populos placidis legum moderatur habenis,
Qui pietate viam, meritisque affectat Olympo,
Et trahit exemplo ad superas quos dirigit arces,

Ille nouas vitreis certo sub fædere leges
 Hic imponit aquis, ille undas diuidit aquis
 Passibus, ingenioque artis, studioque tenaci
 Naiadibus planum terræ per viscera cœlo
 Sternit iter, tollitque vagos ad sydera fluctus.

Congrua fatorum series, ut quem Thernis alio
 Conspicuum solio populis dare iura per omnes
 Concessit patriæ tractus, huic lege perenni,
 Quà gentiliu[m] glebâ patet ubere campus,
 Imperium dederit Thetis, & moderamen aquarum.

In idem.

A Bdita doctrina qui tot miracula pandit,
 Arcana immensi qui iuris operta recludit,
 Qui mentes hominum, varia quas undique lites
 Discerpunt, placidis aquis componere gaudet
 Iudicijs, legumque potensi nectere vinclo;
 Ille sub occulta latices tellure latentes
 Exerit in lucem, cœloque ostentat aperto.
 Ille labore graui dimortia sifit aquarum,
 Disparsaque vagis per subterranea riuis
 Colligit, & teneris adstringit nexibus undas.

Hâc serie Monrabæi per ingera fundi
 Accitæ, Thetidis saluete ò amabile germen
 Naiades, & pedibus per mutua vincula nexis
 Fie per irriguos aterno flumine campos;
 Ad duce Mercurio, cuius facundia magni

*Præsidis ore nitet, qui vos telluris ab imis
Sedibus attraxit, salientes surgite cœlo,
Berterium quo nota fides se attollere vestrum.*

De Mercurio Monrabæo.

HIC ubi suspensa se librat in aëra plantâ
Mercurius, varijs rorantur fluctibus aura,
Exsurguntque solo radianii murice flores.

*Hac est facunda diuina potentia lingua,
Qua largo eloquij diffundit flumine rorem,
Et varios niueo, roseoque colore micantes
Verborum flores populis inhiantibus infert.*

De Iride Monrabæa.


Mercurius tenues rorem dum vibrat in auras,
Sole repercussis Thaumantias emicat undis,
Circumfusa stupet varios mirata colores
Turba, oculosque noua totos in imagine figit:

*Sed dum Berterius facunda gloria lingua,
Eloquij arrectas rorem iaculatur in aures
Natiuâ virtute potens, nihil indigus ille
Lucis Apollinea, pulchram proprio excitat Irim
Lumine, dicentis quo splendida verba coruscant,
Et circumstantem subit admiratio turbam.*

Prætorij Monrabæi inscriptio.

HIC Phœbo, Genioque sacer locus, hanc sibi docta
Pierides sedem statuere Helicone relicto:

*Naiades hic blando salientes murmure ludunt,
Hic procul à curis, & litibus inter opacas
Vere sub aeterno datur otia carpere lauros,
Et trahere urbana incunda obliuia vita.*



AD PRINCIPEM CONDÆVM.

Vscinonensis expeditionis primordia , te
præeunte auspicatissima, versibus celebrare
constitui , Princeps Augustissime. Magnum
opus , & grandiloqui Matonis sublimitate dignū.
Quam enim laudem non meretur subita per loco-
rum angustias , & montium claustra in hosticum
solum irruptio , & prompta Salsularum expugna-
tio, quæ Caroli Quinti ingentes labores tam paucis
diebus consumpsit? Quibus verbis adornari non de-
bet inimicæ Regionis populatio , & tot Oppidorū,
quibus illa florebat, vasta clades ? Quo genere di-
cendi non efferri Iberici fastus depressio, & Perpi-
niani ad hos casus perterriti trepidatio? Sed quibus
imprimis præconijs celebrari non debet , Princeps
Illustrissime, tua in his omnibus conficiendis animi
magnitudo singularis , mentis vigor igneus, & cor-
poris labor indefessus? Quo accuratiore sermonis
ornatu non est prædicanda tua Celsitudo, dum non

Ducis modò, sed & militis partes implet, & circumfusam aciem non sapientissimis tantum militiæ legibus regit & moderatur, sed & factorum efficacissimis exemplis ad pugnam instruit, & erigit ad victoriam? Pudet tam grandia exili stylo tenuare, pudet Heroi scientijs omnibus ad admirationem ornato, & litterariæ non minus quam Gallicanæ Reip. Principi, male conceptos obtusioris ingenij fœtus offerre, & multò magis erubescit mea pagina eruditissimi CONDÆI iudiciū acre subitura, quam si vel ipſi Apollini legenda mitteretur. Iuuat tamen hac in re affectui potius quam pudori consulere, Princeps colendissime, & hos versus quantumuis humili dicendi genere depresso, tuæ Celsitudini cōfecrare, quos summæ erga te venerationis indices hoc vno tibi placituros confido, cui ad Dei immortalis morem grata est mentis ad cultū propensæ, licet inexcultis verbis expressa testatio.



DE SALSIS EXPVGNATIS

DIE MARTIS XIX. MENSIS
IVLII, ANNI M. DC. XXXIX.

E PINICIVM,

Ad Principem Condæum.

IVstitia, pietate ingens CONDÆVS, & armis,
Grande decus belli, celeberrima gloria pacis,

LIBER SINGVLARIS.

39

Quem nullus paribus Princeps virtutibus equat,
 Bella gerens sub Rege pio, cui nulla dederunt
 Secla parem, ventura parem cui secula Regem
 Nulla dabunt Orbi, luce impare, & impare mense,
 Dum cœlo voluente impar dilabitur annus,
 Dum sese terris anni pars tertia monstrat,
 Aruaque inexhaustis Phœbi coquit ignibus Aetas,
 Indomitam Salsarum arcem, quam Quintus in auras
 CAROLVS eduxit, murisque reuinxit abenis,
 Praesidium Hesperia validum, vi Martius Heros
 Occupat armata. Factum ingens! inclytus ausus!
 Copia verborum quibus est, laus omnis & impar.

Scilicet, ut claris evoluam bac omnia verbis,
 Vindicat hoc factum septenus in ordine mensis
 Julius, invicti qui nomine Cæsar is ingens,
 Adserit hoc nonus simul & tricesimus annus
 Imparibus gaudens numeris, ut Numin a gaudent:
 In partem venit alma dies clarissima belli
 Laudibus, & Phœbi meliore corusca sereno,
 Quæ mensis decima & nona est numero impar prestatas,
 Armigero lux sacra Deo, Mauortis honoro
 Digna inter reliquas efferri nomine luges,
 Signanda aternis augusto murice fastis,
 Et grandi memoranda lyrâ, totidemque quot illæ
 Assurgit numeris, fidibus celebranda canoris;
 Lux feruens astate nouâ, cui spicae nectunt
 Serta comam, varijs campos qua messibus implet,

SYLVARVM

*Vt CONDÆVS ouans, & lauro tempora vinctus
Messe replet propria terrarum dissita laudis.*

*Talibus auspicijs, sic concurrente benignâ
Fatorum serie ruit expugnatus Iberus,
Liligerique subit moderamina RVSCINO regni,
Et sceptro asseritur LODOICI vindice ferro,
Ac redit in Salicas prisco sub fædere leges
Septa adamanteis Salsarum arx inclyta muris.*

*Hoc opus est CONDÆE tuum, tua facta secutus
Miles in obsecros victor sese intulit hostes;
Quippe ubi aperta via est tacitis in mœnia fossis,
Pérque specum patuit muri pars ima latenter,
Ipse inter primos inimicis obuius armis,
Dum volat ignito glans crebra per æra plumbo,
Quà data porta ruis. Trepidus stupet hostis, ab æthra
Fulmine cum trifido ratus aduentâsse Tonantem;
Quique priùs valido firmatis aggere muris
Se tumidum tanto Gallis munimine iactans,
Ingentes animos celso attollebat Olympos,
Numine iam propiore tuo tibi brachia tendit,
Supplicibus tibi se votis submittit inermem,
Atque unam pronus petit à victore salutem.*

*Tu cui subiectos, vittasque & verba precantium
Tendentes, placido miserari pectore pronum
More Dei, ferro peritura munia vita
Indulges miseris, & faucibus eripis Orci.*

Sic te dum pugnas, valido qua Marte furentem

Magna-

*Magnanimumque Duce stupēfacta Hispania sensit,
Dum vincis, Dominum simul est experīta benignum.*

*Fortunata nimis tellus, quam numine dextro
Expulsis patriæ ditione Leonibus ora
Dum rabiosa feri Titan petit ora Leonis,
CONDÆI augustâ feliciter insita dextrâ
Tergeminis posthac decorabunt aurea culmis
Lilia, quæ flauo surgent latissima sulco,
Mixtaque paciferis queis Ruscino gaudet Oliuis
Annorum per secla polo exultante virebunt.*

Rosillow
Flauus
sulcus.

AD EVNDEM.

DE REBUS POST SALSVLARVM
expugnationem gestis in expedi-
tione Ruscinonensi.

*E*n iterum CONDÆE nouis impulsibus actum,
Dum tua dextra nouos victrix prorumpit in ausus,
Litibus è medijs ad carmina blandus Apollo
Me reuocat, querulique fori statione relictâ
Ad bifidi retrahit nemorosa cacumina montis,
Roscida ubi placide posuere sedilia Musæ,
Dulcisonis liquidum mulcentes aëra plectris,
Annuē per laudes conanti MAXIME
PRINCEPS

*Fre tuas, viridesque inter qua tempora lauros
Incingunt tua marcentem sine serpere Oliuam.*

*Postquam quæ validis arx munitissima SALSIS
Præsidium totis cœlo surgebat Iberis,
Armatis obseffa viris, circumdata vallis,
Oppugnata feri repetito fulmine Martis,
Subruta sulphureis caco molimine fossis,
Confilijs CONDÆE tuis, & viribus impar,
Victori tandem patuit, ceciditque superbi
Hispani tumidus vasto cum pondere fastus;
Exemplò sacris supplex ad volueris aris
Vota Deo soluens, precibusque è pectore fusis
Ipse sacerdotum longâ stipante cateruâ
Ore tonas latum magno Pæana Tonanti,
Cuius quæcumque est constat victoria nutu.*

*Interea superum templo dum Numen adoras,
Condignasque Deo tentas persoluere grates,
Imperio glomerata tuo, secretaque ab omni
Milite, fæminei saua inter pralia sexus
Turba pausens, omnes deponere tuta iubetur
Corde metus, casti tanta est tibi cura pudoris.
Inde viri ex acie notâ virtute leguntur
Fæminea ad patrias qui ducant agmina sedes
Intacta, & solito bellorum erepta furori.*

*Sic per te rabidi frenata licentia Martis,
Dum victis vita est seruata, furentibus armis,
Seruatumque decus nuptis, tenerisque puellis,*

Queis nulla est captis illata iniuria muris.

His ità compositis Regalem protinus aulam,
Liligeri quà sacra patent penetralia Regni,
Mittitur, invicto referat qui talia Regi,
Et raptæ hostili vexilla ex arce reportet,
Impare quæ numero tibi tot, CONDÆE, trophyæ
Suppeditant, rutilus quot Zonis cingitur aether.

Scilicet hic veluti numerus pare, & impare primum
Compositus, gemini nobis commercia sexus
Significat, duóque ostentat coalentia in unum
Corpora, coniugij vinclo religata tenaci,
Vnde olim quinis connubia fulgida tedis:

Sic numero tali SALYSIS detracta subactis
Signa, per augurium ducunt mea pectora faustum
Non procul hinc fatis instantibus affore tempus,
Quo denicta tuâ, PRINCEPS FORTISSIME,
dextrâ

Sûbque iugum omnibus LODOICI missa secundis
Exultans Franco iungatur Iberia regno,
Vnumque è geminis coalescat legibus equis
Imperium, demissa polo cui Lilia præsint.

Talibus auspicijs Regis dum tendit ad aulam
Nuntius, & celeri præteruehit arua volatu,
Magnaque per populos inhiantes gaudia iactat,
Omnia peruolutat capta loca FRANCICVS HEROS
Arcis, & armato seruandam milite complet.

Tum reparare nouas belli truculenta ruinas

Machina fulmineo muris quas intulit iectu,
Inuigilat, moles ad terram hinc, indéque magno
Impetu depresso, fato meliore resurgent.

Sed tantum dum feruet opus, iuuat ordine certo
Dispositas acri curâ lustrare cohortes:
Censentur pedites, equitesque, & debita iusta
Præbentur mercede viris bellantibus aera.

Jam Titan radijs bis ter lustrauerat orbem
Puniceis inuenctus equis, ac latus ouantem
SALSARVM domitâ CONDÆVM viderat arce,
Et celebrem tanti famam victoris, Eois
Spaserat occiduisse plagi, & utrumque per axem,
Cum campis instructa acies erumpit apertis,
Pugna ardens, trepidosque vocans in pralia Iberos.

PERPINIANÆIS illi se condere muris
Præcipitans trepidante gradu, ruit aquore toto
Francorum conferta phalanx, substrata cateruis
Ære renidescit tellus, ferrique corusco
Ingerminat fulgore diem, solisque lacepsit.
Telorum segetes videas assurgere cœlo,
Pulueris effundi piceos ad sydera nimbos,
Putria cornipedum sonitu quatuntur equorum
Arua, micant galeis radianti vertice crista,
Induti densum toto undique corpore ferrum
Procedunt equites, simulacra hos ferrea dicas,
Et velut agnato credas spirare metallo.
Ante alios Dux CONDÆVS, quo Cyllarus ardens

*Antiquum aspernatus onus, sessore superbit,
Emicat, Hispanam properans excindere gentem,
Et Pyrenæos vicit transcendere montes.*

*Huic stellatus apex aurata casside surgit,
Hunc chalybis mirâ Vulcani flexilis arte
Lamina densa tegit totos inducta per artus.*

*Lorica in medio calata relucet imago
Palladis, Aetnaos terrentis Gorgone fratres;
Illi BORBONIAE GENTIS fortissima facta
Et CERISOLÆOS latè pugnata per agros
Prælia se ostentant, & clari laude triumphi.
Talis magnanimum radiante micantior auro
Thorax pectus obit magni Ducus, ille per arua
Fatifero furit ense minax, atque arduus alto
Puluerulentus equo caput inter nubila condit.*

*Qualis apud gelidi ripas Mars Thracijs Hebri,
Horrificam quatiens immensis viribus hastam
Bella ciet, validaque ingentes territat urbes
Cuspide, CONDAEVVS talem sese ore ferebat.*

*Dum ruit hostilis sinuosa per aquora campi,
Optat & aduersis acies concurrere signis,
Cominus apparet maris haud ignobile claustrum
Marmoreis septum muris, & turribus altis,
Armatisque novo turmis iter obice claudit.*

*Est in secessu gleba locus ubere diues,
Arce, virisque potens, vitreo conterminus amni,
Et vasto tumidus vicini gurgite Nerei,*

*DEFESSIS statio non iniucunda carinis,
CANETVM indigena vulgari nomine dicunt.*

*Confestim canæ sedit sententia menti
Quarere cade viā, & CANETVM inuadere ferro.
Cingitur aggeribus claustrum, quatit impete crebro
Mœnia sanguinei furialis machina belli,
Cuius ab igniuomo globus æneus euolat ore,
Excidio, lethoque nocens, & fulminis instar,
Aer puluereo subito excandescit ab igne,
Et pauida horrisono tellus tremit excita bombo.*

*Instat DVX operi, præsentि territus hostis
Numine, pacem orans dextram protendit inermem:
Panduntur portæ, & CANETI saxeæ moles
Canæ sinu recipit vernanti LILIA flore.*

*PERPINIANÆ AM turritis mœnibus urbem
Vicina torrentia horrenda funera cladis,
Luctus ubique ingens, lethi feralis imago,
Ultricésque sedent violato fædere Diræ,
Et dignas prisco poscunt pro crimine pœnas.*

*Vade age bellipotens, Diuūm iustissima cura,
Perge tuis nomen GALLORVM extendere factis,
Successusque nouis tantos successibus auge,
Rumpe moras omnes, scopulosaque disiuce claustra,
Collibet
Iliberis,
vel Elibe
ris apud
Aucto-
res. Libera quæ COLLIS LIBER se vertice tollit
Fer vīctor CONDÆE citâ vestigia plantâ,
Colper-
tus. Saxeæ PERTVSI pertunde repagula COLLIS,
Signa, ruens Marte intrepido per tela, per ignes*

PERPINIANÆ IS victoria mœnibus infer,
Purpureásque ROSAS inter fac candida surgant
LILIA, dulcè micans placet hac mixtura colorum.
Inde CATALONIOS furibundo inuade recessus
Impete, ET HESPERIÆ penitas irrumpē latebras,
Quáque cadens vitreo Phœbus caput aquore condit
Exere FRANCORVM vexilla, & fortibus ausis
Hoste cadente tuas attolle ad sydera laudes.

Le port
de Ro-
ses.

Fata iuuant FRANCOS, & nostris numina votis
Respondent, aude fidens te credere cœlo.

Hic est imparibus numeris promissus ab alto
Fatidicis vatum responsis maximus annus,
Cuius inoffenso labuntur tempora cursu
Magnificos inter varia de gente triumphos,
Dum folio LODOICVS ouans incumbit aucto
Alter ab undecimo tam magni nominis heres,
Igneaque infensis iaculatur fulmina terris,
Et propria HESDINI conuelliit mœnia dextrâ,
Consilijs ARMANDE tuis, queis GALLIA floret,
Letaque conspicuum rutilis caput inserit astris.

Hic est currentis per secula circulus anni
Quo duce te, CONDÆE, ferox sub prisca redibit
Imperia HISPANVS, velut annus lubricus in se
Ipse redit, quo te, PALMÆ dum nobile Castrum
Legisti pro sede, volans unde irruis hostes
In medios, dubique subis discrimina Martis,
Innumeris cernet redimitū FRANCIA PALMIS:

*Quóque renascenti, multo quæsta labore,
Et bello ingenti, surget pax aurea mundo,
Mixtaque cū placidis LAVRVS iungetur OLIVIS,
Et fera tartareis discordia cincta colubris
Herculei cunis DELPHINI allisa, trucésque
Exspirans animos Stygias adagetur ad umbras.*



POLEMONI SVO.

SI Salsulæ subiugatæ Francis propria dona
in ditione nostra perstittissent, nimium Su-
peris visa Gallorum natio potens. Quod
enim de Marcelli immaturo obitu , quem terris
tantum ostendere fata , dixit Virgilius , id nos ad
hanc nobilissimā arcem quæ tam citò nobis erepia,
referre quid vetat ? Hæ sunt, Polemon carissime,
Martis depræliantis vices , & fortunæ alternantis
casus , quæ res mortales sicut pilas habet. Sanè si
Salsulæ CONDÆO Principe oppugnante captæ,
ab insilientibus Iberis mortali dextrâ defendi po-
tuissent, etiam hâc quæ illas expugnauerat defensæ
fuissent. Sed obstitère fata , quæ res magnas diu
stare non sinunt. In hoc improviso insultu nihil in-
tentatum , nihil inausum reliquit magni Principis
cura inuigilans ut Galliæ seruaret, quod illi nuper
adiecerat.

adiecerat. Et iam vndique collectis mirâ celeritate
militaribus copijs armatus instabat hostibus, & ab
excelso tumulo mortem Iberis minabatur. Illi ad
hâc prælij imminentis imaginâ, fugam magis quâm
pugnam adornabant. Ego interim inter rura otio
sylvestri curas publicas intermiscens opus parabâ
describendæ Arcis obfessæ liberationi, quam non
dubiam apud nos fama publicabat. Dum spe tam
blandâ animû lacto, effusis subitò per blandientem
aëris serenitatem nimbis, non minus inopina quâm
atrox tempestas in illis partibus, vbi dimicandum
erat, exoritur. Hæc supra modum, & præter re-
gionis morem, bacchantibus Austris, tonante cœlo,
æthere fulgurante, fulminante Ioue, imbribus exun-
dantibus, nostra ad pugnâ accincta disiicit agmina,
& totam aciem inter vndantes ignium & aquarum
è cœlo certatim ruentium globos fluctuantem mi-
serè disperdit. Quæ sors Francico nomini & CON-
DÆI virtuti inuidens tam inclyta Principis cœpta
interuertit, eadem mihi verba interceptit, & operis
ad optatum finem tendentis progressum inhibuit.
Debueram Marte auerso conceptum Carmen Vul-
cano tradere truncatum, & mutilum. Malui tamen,
ingenitâ Poëtis erga suos versus indulgentiâ, in sinû
amicî opusculum hoc conferre, & oculis tuis ex-
ponere. Artis illi, fateor, pigmenta desunt, & sola,
quâ se commendare poterat, materia fati infelici-

tate subtracta deficit. Sed quē à limatiore tui iudicij censura fauorem consequi non potest , hunc ab affectu miserationis exspectat, quæ casibus humanis patrocinatur, fœtūisque abortiuos, & expositos partus humaniter suscipit.



OTII SYLVESTRIS CVRÆ.

TVRBID A prolatis cohabet dum iurgia rebus
Annua qua patri debetur cura Lyao,
Cui grauida vndanti spumat vindemia musto :
Dumque Autumnales aquato tempore Chelæ
Justitium indulgent populis , gratāmque forensi
Imponunt opera defesso iudice pacem ,
Solliciti curis vacuum , studiisque Senatus
Menilia patrio Dryades me rure souebant.

Hic ego Maonia voluebam scripta Camæna ,
Diuināmque graui resonantem Æneida versu ,
Et quos Roma alios , & Gracia nobilis olim
Ingenij fatus cælo mirante tulerunt ;
Magnorūmque sequens longè vestigia vatum ,
Rura modò & sylvas , Martis nunc arma canebam ,
Aut blando teneros plectro modulabar amores ,
Per varia ingenium Phœbi commercia versans .
Libera nunc positis resolutus in otia libris

Propter aquæ riuos , patulaque sub ilicis umbra ,
 Fusus humi teneræ viridanti in cespite gleba
 Accitum Zephyri flabris , & mobilis unde
 Murmure , securâ carpebam mente soporem .

Hos inter ruris secessus , mistus amœnis
 Nympharum choreis , sociisque per arua Diana ,
 Dum cœlo meliore fruor , iucundaque duco
 Per nemora & saltus urbana obliuia vita ,
 Facta tamen , CONDÆE , tuae virtutis in horas
 Incurrunt animo , mentique subinde recursant
 SAL SARVM expugnata tuâ munimina dextrâ ,
 Nec tam Phœbas recreant mea tempora laurus ,
 Quæis docta veterem Musæ cinxere poëtam ,
 Quam me purpureo iuuat intermixta amarantho
 Quâ Mars ipse tuam decorauit laurea frontem .

Menilos sic inter agros dum corpore versor ,
 Diumque tuos animo perlustro RVSCINO campos ,
 Grata fluunt sensim placido mihi tempora cursu ,
 Atque audiens totas exhaudio ruris auiti
 Delicias blandis studijs , & inertibus horis .

Sed non illa diu felicis gaudia vita
 Tranquillas noctes , luceisque dedere serenas ,
 Ofaciles conferre homini bona plurima Diuos ,
 Difficilesque eadem constanti sorte tueri !
 Sollicitum latit interuenit , occupat asper
 Exsultantem animum fortunâ vindice luctus :
 Mutatur cali facies , subitisque coruscâ

*Luce micans tenebris hinc inde obuoluitur aér.
Ac ubi pacatum placidè lusere per aquor
Extemplo tumidis puppes sorbentur ab undis.
His rerum vicibus fors irrequieta, locoque
Stare uno impatiens aduersis prospera turbat,
Lumine nunc placido, toruo nunc efferat vultu,
Casibus exagitat varijs, pérque omnia versat
Mortales voluente rotâ quam mobilis urget.*

*Sic mihi quem gremio fors blanda fonebat amico
Impulsis subito studia in contraria fati
Obrepit dirus media inter gaudia morbus.
Horresco memorans, defecto poplite languet,
Et labat aduerso percussum sydere corpus,
Pallor in ore sedet, calor imo pectore senit,
Viscera lethali mordax depascitur astu,
Et caco febris tabentia macerat igni
Membra, furēnsque ardet natuam absumere flammā.
Nil tenues aure, nil lucida tela diei,
Et tepidi nitido radiantes aethere Soles,
Nil liquidi fontes, nil prata virentia prosunt,
Et varijs distincti herbis & floribus horti.
Ipse etiam magnus medicina inuentor • Apollo
Nil habet in propria vatem quod subleuet arte.*

*Autumno folia arboribus, frondesque comantes
Impellente cadunt, & prono marcidus anno
Formosis perit omnis honos, & gratia syluis.
Nympha loci velut elatas in funere luget*

Natiuis miserè spoliatas crinibus ulmos.

*Sic mihi dum prona est etas vergentibus annis
In senium, nostro dum lethifer incubat orbi
Autumnus, Stygijke propagat regna Tyranni,
Excidit arenti vigor omnis corpore, & atram
Funereis mortem portendunt omnia signis.*

*Interea nostras per deuia fertur ad aures
Fama volans, rabie stimulatos Martis Iberos
Exeruisse caput latebris, fusisque per arua
SALSARVM aggestis circumdare mœnia vallis.*

*Qualuer imbelles tota Iouis armiger athrâ
Pellit aues, cogitque fugâ properante cauernis
Abdere se, pedibusque caput subducere aduncis:
Haud secus Hispanos nuper fortissimus Heros
Qui nostri gerit arma Iouis se condere muris
Impulerat, tantaque Ducas virtute pauentes
Prostratis cæcas animis habitare latebras.*

*Nunc tamen erumpunt tenebroso è carcere in auras,
Dedecorisque pudor victis tandem arma ministrat.*

*Vndique collectis feruent sola trita maniplis,
Auxilijs ad bella rudes armantur agrestes,
Horribi versis in munia Martis aratris,
Falcibus in rigidos Ætnæis ignibus enses
Conflatis, inarata iacet, dumosaque tellus,
Hesperiisque filix, loliūmque innascitur aruis.*

*Cornua iam pleno Phœbe reparauerat orbe,
Lunarémque polo bis circumvoluerat annum,*

*Ex quo CONDÆI magno expugnata labore
SALSARVM arx, populi tutela, & murus Iberi
Gaudebat LODOICE tuo Rex inclyte sceptro
Adiunctam prisca se sub ditione teneri.*

*Cum se præsidio spoliari Hispania tanto
Impatiens in bella ruit, volitansque per agros
Perpinianos multis cum milibus hostis
Improuisus adest, SALSARVMQVE imminet arcis,
Et multis equitum tumidus, peditumque cateruis,
Ereptum properat vi magnâ inuadere castrum.*

*Stat contrâ intrepidi Spenani viuida virtus,
Quem SALSIS nuper sub Francica iura redactis
Prefectum imposuit magni mens prouida Regis:
Ille nouus tanta moderator & arbiter arcis,
Sed vetus, & bellis assuetus ductor agendis
Vidit ut hostiles glomerato milite turmas,
Sollicit ante tubâ, subitique ad prælia Martis
Ære ciente viros, trepidis se effundere campis,
Cominus & SALSIS stragem, excidiūmque minari,
Protinus in Castrum triplici comitante cohorte
Se recipit, casus quoscumque subire paratus
Atque extrema pati, quò credita mœnia seruet,
Irritaque Austriaci reddat molimina fastus.*

*Vt subiit lecto Spenanus milite SALSAS
Ardentes socijs stimulos sermonibus addit,
Ante oculos laudis qua sese porrigit ultrò
Argumentum ingens, & messem subiicit amplam.*

*Impauido muri quod cuique est Marte tuendum
Principit, ac vigiles certâ statione per arcem
Collocat excubias, & propugnacula firmat,
Præsidisque viros acres, & ahenea belli
Tormenta horrifico mentes terrentia bombo,
Telaque præcipites ponit vibrantia mortes.*

*Vesana pectus rabie inflammatus Iberus
Nunc parat igniti massâ crepitante metalli
Compactâ foribus medias perrumpere valvas,
Nunc positis certat scalis concendere muros,
Nunc tacite ductis per subterranea fossis,
Occultisque dolis, & pulueris impete tentat
Improuiso altas in planum effundere turres.*

*Parte aliâ validis propugnat viribus arcem
Obseffus, summoque velut si culmine cœli
Considat, veterumque utatur sorte Deorum
Titanas stolidis conatibus alta petentes
Fulmineo Stygias iictu detrudit ad umbras.
Terra cruore madet, sanie, taboque fluenti
Exundant fossâ, stratæque cadauere multo
Exhalant tetram vicina per arua mephitim.*

*Artibus Hispanus tum ne quid possit opertis
Insigilat Francus, fraudesque eludere certat,
Quâsque operi caco incumbens tellure sub ima
Incuruatus Iber struit in munimina fossas,
Excipit aduerso tendens molimine Gallus,
Et iubet effusos hostis per inane labores*

Occursu aëria procul euanescente rima,
 Puluere dantur dum spiramenta furori,
 Exitus & cælo facilis monstratur aperto
 Quarenti è latebris erumpere in aëra flamma.

Sapius obsessa miles prorumpit ab arce,
 Et circumfusos crebris insultibus hostes
 Impedit, in medio surgit pugna aspera vallo,
 Plumbea sauit hyems, magno volat impetu ferrum
 Missile, et ignità mors spargitur effera glande.
 Fulmineis properata globis, accitaque longè
 Funera congerminant propriis mucronibus, hastis,
 Ensibus Hispano grassantes aggere Franci.
 Telorum nimbo non deficiente serenum
 Vmbratur, saudaque horret ferrugine cælum.
 Bellatum rabido montes clamore resultant,
 Fulgurat assiduis circumfluus ignibus ather,
 Et multo concussa tremit sub verbere tellus.
 Non tam crebra ferit crepitantia culmina grando,
 Nec tantus tellurem Austris bacchantibus imber
 Verberat, Ætnaum non tot gemit ictibus antrum
 Vulcano Siculis ferrum tundente caminis.
 Turbida nectantum flammis micat athra coruscis,
 Iupiter infensas ubi fulmine territat urbes.
 Horrida fit strages, varia sub imagine lethi
 Procumbunt inimica solo, pauidamque cruentis
 Saucia vulneribus tellurem corpora mordent.
 Tenaces illis fugit indignata sub umbras

Vita gemens, spumat diffuso sanguine vallum.
 Obsessus sic ipse vices prestantibus ausis
 Oppugnantis agit, tantum constantia fortis
 Spenani omnigenis belli artibus inclita pollet,
 Tantum delecta validissima robora pubis
 Hoc duce fortuna magno in discrimine possunt.

Mars oppugnatis agitat dum talia Salsis,
 Sollicito ingentes versat sub pectore curas
CONDÆVS, non ille leui sua lumina somno
 Declinat, defessa thoro non membra reponit,
 Sed magnum, celeremque animum, cui feruidus ignis
 Est vigor, & ingis Phœbæi syderis instar
 Motus, inexhausto vigil assiduoque labore
 Diuersas rapit in partes, perque omnia volvit.
 Nil intentatum, nil ille relinquit inausum,
 Quò ferat auxilium obsessis, inimicaque castra
 Fundat, & audaces ferro prosternat Iberos.

VI primum Princeps glomeratos audiit hostes
SALSARVM armata muros cinxisse coronâ,
 Aestuat impatiens pugnandi, & feruidus ira.

Ac velut excuso prorumpens vertice torrens,
 Si qua superiecto lapidum audeat obice moles
 Vndantes rapido remorari gurgite fluctus,
 Tum magis atque magis furit, ex ardeteque retentus,
 Assurgitque minax congestis altior vndis.
 Sic dum **CONDÆI** progressus sistere tentat
 Hispanus, generosa Duci violentia gliscit,

Et maiore animus belli inflammatur amore.

*Protinus hostiles passim denuntiat ausus ,
 Et facti famam cunctas dispergit in oras ,
 Quà se Volcarum , latisque Aquitanica campis
 Effundit gemino tellus contermina ponio ,
 Quique secant tenues auras , celerique volatu
 Pracipitent agiles cursum , populosque ferendis
 Suppetijs subito moueant in bella tumultu ,
 Per varios terra certo iubet ordine tractus
 Fre viros ; illi properè in mandata ruentes
 Præpeligus pennis diuersa per arua feruntur.*

*Principue summum scriptis monet ille Senatum
 Quo res summa loco , & tanto in discrimine belli
 Quà ratione queat patrijs succurrere rebus
 Monstrat , & armatis obnixius aduocat ausis
 Iustitia valido firmatas robore leges .*

*Tum sibi suppositas CONDÆI ex ordine gentes
 Diuersis acuit generosa in pralia scitis
 Curia purpureo Patrum veneranda Senatu .
 Patritio longâ serie de sanguine cretis
 Ante oculos ponit monumenta decoris auiti ,
 Hòsque iubet tanto meminisse in turbine Franci
 Nominis , & cunctis aduersus gentis Iberæ
 Insultus pulchrâ Gallos pro laude vocantis
 Effigiem patriæ mirâ dulcedine blandam
 Subiicit , ingentesque minas hortatibus addit ,
 Degeneres animos pœnis ultricibus urget ,*

*Justitiumque viris quos bello gloria cingit
Indulget, querulásque vetat decurrere lites.
Quin etiam properè ad magnas it plurimus urbes
Ordinis augusti portans mandata Senator,
Delectum peditum atque equitum qui suadeat ore
Blandiloquo, & dicto cunctantibus imperet acri,
Imperium, hortatus confundere doctus in unum.*

*Sic urbe & pagis accisi ad bella frequentes
Concurrunt populi, & CONDÆI iussa faceſſunt:
Nobilitas cum plebe ruit, pugnámque requirit
Impatiens, properatque inimicam sternere gentem.
Iudiciale vacat rabiosâ lite tribunal,
Praconis vox nulla tonat, ſolennia iuris
Nulla reo Praetor pauitanti verba profatur.
Clangor ubique tubæ, ſtrepitusque per aëra magnus
Armorum, & totum ſpirant ſimul omnia Martem.*

*Prima Tolosa potens ſtudijs bellique, togæque
Instar magnanima, tanta qua praefidet urbi,
Palladis, ad pugnam ciues accingit ouantes.
Instant Octouiri proceres, ſubitisque Senatu
Consilijs autore habitis ad pralia fortes
Berterio moderante legunt, qui ducere bello
Armatos valeant, peditumque praefeffe cateruis.*

*Prima urbis reliqua certatim exempla ſequuntur,
Et ciues ad Martis opus ſtimulantque, premuntque.
Militia egregios per auos ad munera nati
Patritij, armorum quos inclyta gloria tangit,*

Pracipites se in bella ferunt, generosaque ducunt
 Agmina bellantium turbâ conferta clientum,
 Quos gentilitij spatijs ingentibus agri
 Antiquâ Dominis Feudorum lege ministrant.
 Non illos rabidi in discrimina Martis eentes
 Complexa niueis possunt retinere lacertis
 Vxores, non hos genialis pignora lecti
 Blanda valent pueri tanto reuocare periclo
 Pugna audios, varijs nequicquam questibus auras
 Implet, & assiduis contundit pectora palmis
 Diffusas laniata comas fidissima coniux;
 Nequicquam miseris v'lulatibus aëra pulsant
 Dulce patris querulo geminantes murmure nomen,
 Muliisque cum lacrymis miscentes oscula nati.
 Vincit amor patriæ, & LODOICI publica caussa,
 Fletibus immotos natuæ ingentia laudis
 In bellum monumenta trahunt, pulchrûmque cruentis
 Tam magno pro Rege mori succurrit in armis.
 Quin ipsos etiam, queis credita cura Sionis,
 Pontifices, quorum arma pijs cum planctibus hymni,
 Continuaque preces imo de pectore fusæ,
 Belligeri videoas agitare negotia Martis;
 Collectâisque manus, qua se per tela, per ignes
 Hostibus impavidæ obijciant, armare sarissis.
 Tale pijs à Presulibus iustissima Regis
 Caussa pijs, patriaque affectus ad arma vocantis
 Officium summo pietatis iure requirunt.

Sed solos non ista viros sub pectore cura
 Sollicitat, tanti consors quoque famina facti,
 Cui natura colo, calathisque vacare Minerua
 Et castam seruare domum dedit, illa per agros
 Euolat, & subito Martis studio excita fertur
 Mista viris, monstrataque nouas ad fortia vires.

Talis in Hispanos generosa mente virago
ROQVELAVRA virum radiantes ære cateruas
 Quæ fausto referant victrices omine lauros
 Dicit Amazonie rediuiuo robore gentis.
 Talis mira animi virtute ad prælia densas
MIRAPICENSIS agit turmas, & coniugis umbrā
 Vlcisci querens, quem vulnere fodit Iberus
 Leucata ad pugnam pro libertate ruentem,
 It bello, & pœnas inimico à sanguine poscit.

Interea multo dum Gallica milite castra
 Complentur, tempusque instat, quo Martius Heros
 Destinat obfessis hostes propellere muris;
 Ille Dei summus cultor, pietatis & ingens
 Exemplar, submisso animo ad diuina recurrit
 Auxilia, & duplices tollens ad sydera palmas
 Ante aras magno Diuimque, hominumque parenti
 Vota facit, supplēxque aeternum numen adorat,
 Omnia sub cuius torquentur prælia nutu.
 Christiparam, quam diligeri primaria regni
 Vrbs deuota colit, cunctosque ex ordine Diuos,
 Quorum festa dies astris voluentibus instat

Invocat, & precibus pronus flagrantibus urget,
 Ne socias renuant pugnantii adiungere vires.
 Et quoniam mystis Christi sub nomine in unum
 Maius inest pondus, maiorque potentia votis,
 Pontifices, commissa quibus stat cura sacrorum,
 Hortatur, sacras tanto in discrimine rerum
 Indicant per templa preces, magna que cateruâ
 Stipati, & festâ lustrantes compita pompa
 Circumeant totas mystis psallentibus urbes,
 Supplicibusque vocent animis in vota Tonantem.

Nec mora, solenni indicuntur publica ritu
 Vota, precésque sacra, populorum templa frequenti
 Concursu refluent, fumant altaria thure
 Incenso, prono celebrant mysteria Christi
 Pectore Pontifices, proceditur agmine longo
 Cum clero effusas populo incedente per urbes,
 Et totus resonat diuinis cantibus aether.

At varijs discreta locis dum tanta geruntur
 Morbus adhuc me rure tenet, morbum insuper ipsum
 Cura fouet dubij, qua me premit, anxia belli.
 Ante oculos semper magni obuersatur imago
CONDÆI, qui luce magis mihi carus, et ipsa
 Viuiscâ liquidi quâ perfruor aetheris aurâ:
 Nocte, diéque animum per tot discrimina versans,
 Horrida sanguinei quibus obvia munia Martis,
 Extimeo cunctos turbato pectore casus.
 Caruleis complexa solum nox humida pennis

Mulcebat placido defessa animantia somno,
 Et mea, post multos animique, & corporis aestus,
 Membra diu per vota sopor quasius habebat;
 Cum mihi sub Galli cantum crinitus Apollo
 Parnasso veniens visus considere lecto.

Illi arcu Lycio, pharetraque nitente decorum
 Sacra coronabat serpens per tempora laurus,
 In manibus ramum Daphneide fronde virentem
 Gestabat, sparsisque comis spirabat odorem
 Ambrosium; tum sic mæstum, morboque iacentem
 Affari, & blandis mærorem soluere dictis.

Aonio dilecte choro, mea maxima cura,
 Quem summo teneris affectu amplexus ab annis
 Excepi, foniique sinu, quid pectora curis
 Exagitas? corpisque finis tabescere morbo?
 Eia age, pone metus omnes, pauidam erige mentem,
 Quidque exsangue trahis languensque attollito corpus.
 Multa quidem aduersus generosos Principis ausus
 Dardanidum de stirpe satis contraria Iuno,
 Moliri tenues latè bacchata per auras
 Priscis pulsa odijs non desinet: hæc tibi nostro
 Praescia venturi cortina recludit ab antro.
 Sed quidquid furibunda polo, pérque aëra tentet,
 Quidquid & Æolio moueat Saturnia regno,
 Pérque Erebi obductas eternâ nocte paludes
 Excitis agitet furijs; virtutis amica
 Borbonia, incolumem CONDAEVUM fata reseruant,

Nec tanto orbari patientur Principe mundum.
 Ipse ego qui quondam partes atque arma sequutus
 Augusti, celso LEVCATÆ è vertice montis
 Visus in Actiaca neruum contendere pugna,
 Telaque in aduersas iaculari ferrea gentes,
 CONDÆO præsens adero sub mœnibus altis
 LEVCATÆ, luctante loco, cæloque maligno
 Pugnanti, patrioque illæsum limite sistam.

Sic fatus validis concussit viribus arcum,
 Terque salutiferâ tetigit mea tempora lauro,
 Hâc ego tam blanda recreatus imagine mentem
 Sollicitam, corpûsque ægrum, rata somnia faxis
 Phœbe pater dixi, & fato meliore potitum
 Mox hilarem & vegetum me nox, somnusque reliquit.



EVGENIO SVO.

 TIVM sylvestre, quod Autumno pro-
 ximè elapso mihi Themis indulxit, impli-
 citum habuit Salsularum liberandarum
 cura, quam inanem fecit Iouis fulminantis ira supra
 modum desæuiens. Melius equidem occupatæ sunt,
 Eugeni carissime, huius anni feriæ, quæ maximi Re-
 gis in imperio simul, & sobole propaganda felici-
 tatem hilari carmine celebrant. Hinc à litibus ex-
 peditum

peditum animum tenet expeditionis Belgicæ com-
memoratio , quæ in uictis LVDOVICI armis , &
solertibus ARMANDI consilijs Atrebatum arce-
domitâ Galliæ limites ampliauit , diemque auspica-
tissimam fecit , quam Francicæ cladis ad Diui Quin-
tini oppidū acerbitate feralem fasti nostri damna-
uerant . Inde à iudicialibus negotijs liberam mentē
capit Ducus Andegauensis recens nati contempla-
tio . Subeunt identidem aliæ Principis incliti vi-
ctoriæ , quæ rerum gestarum varietate , non minùs quàm
gloriâ se commendant . Ità quâdam fatorum ad pu-
blicam faustitatē consensione lauros inter & myrtos
Galliæ certatim blandientes , otio , quod Autumna-
les induciæ præstant , liberè fruor . Quàm gratum
iustitiū ! quàm iucundæ feriæ ! quàm felix Septéber !
Qui Romam nascentem primus vidit , si Manilio
credimus , qui Augusto vitæ primordium fuit , qui ,
ne in exteris immoremur , DELPHINVM Deo da-
tum exhibuit , qui LVDOVICVM patrem , & AN-
NAM matrem protulit ; ille præcipuâ quâdam inter
ceteros menses prærogatiuâ DELPHINO fratrem ,
parentibus sobolem alteram laureatis pannis obuo-
lutam , recentibus genitoris trophæis inumbratam ,
& crebras patriæ triūphantis acclamationes blando
vagitu excipientem dedit . Taceant qui hunc men-
sem Tacitum appellari voluerunt ; quia in eo Tacitus
& natus & factus erat Imperator . Facesat Sena-

tus Romani decretū , quo in honorem Antonini
Pij idē mensis Antonianus dici iussus est. LVDO-
VÆVS meretur appellari, cui LVDOVICVM, &
LVDOVICI prolem debemus. Huic tu sententiæ
cum bonis omnibus subscribes, Eugeni amātissime,
& carmen felicitati publicæ consecratum leges, vt
spero, non illibenter, qui ex recepto sapientum
dogmate, patriæ magis, quām tibi te natum credis.



OTIVM SYLVESTRE.

ELEGIA.

IAM vesana fori rabies , iam turbida cessant
Jurgia , sollicitos pax habet alta reos.
Praconis vox mæsta silet , Themidisque seuera
Clauditur æratâ ianua firma ferâ.
Latâ parant Musæ sedandis otia curis ,
Autumnus fessos ad sua rura vocat.
Libra polo insidens placida sub imagine mentis
Instat , & Erigones candida terga premit.
Iamque dies solennis adest , quem semper ouantem
Gallia præcipuâ religione colet ;
Quo magnus celso veniens LODOICVS Olympo
Lætitiam exortu sparsit ubique suo.
Rura peto , valeant populosa ciuibus urbes ,

Inque domos multo turba cliente ruens.
 Sint procul vndantes per nota suburbia currus,
 Et circumfusis agmina densa rois;
 Dum redit in certum repetitis cursibus orbem
 Pompa puellari conspicienda choro.
 Sint procul E^g pleno fluitantia vela theatro,
 Et fescenninis scena referta iocis.
 Natalem ut celebrem Regis, qui rura beauit
 Aeterno pacis munere, rura peto.
 Me comitem ut iungam Musis, quæ blanda quieti
 Secessus querunt otia, rura peto.
 Ad vos Pierides venienti festa Poëta
 Serta date, E^g blandis carmina dicta modis.
 Qui regno profugas positis ciuilibus armis
 Gaudet in antiquum restituisse decus;
 Ille suum, modulante lyrâ, quo vestra renata est
 Gloria, natalem vos celebrare iubet.
 Phœbe fave, viridique incinctus tempora lauro
 Incipe dulcisonam sollicitare chelyn.
 Dic plectro meliore diem, qui nubila calo
 Dispulit, E^g nitidos qui dedit ire dies.
 Ille tui tutela chori, Parnassia proles
 Quo fautore sacrum tollit in astra caput:
 Editus æquato Princeps sub pondere Libra,
 Musarum columen, iustitiaque decus:
 Quem populi, quem regna tremunt, quem suspicit orbis,
 Ille tuâ est dignus pulcher Apollo lyrâ.

Ergo age quid cessas charo succurrere Vati?

Huc ades, & votis annue Phœbe meis.

Hic spirant placida positis Aquilonibus aura,

Hic leuis obliquo labitur vnda pede.

Hic nitidi radiant soles, hic purior aether

Purpureolatos lumine vestit agros.

Hic molles gaudent Nymphæ exercere choreas,

Et doctâ Charites nectere ferta manu.

Hic per inaccessos frondenti vertice lucos

Insequitur celeres casta Diana feras.

Hic iuuat æria recubare sub ilicis umbra,

Et viridi positum sternere corpus humo.

Hic tibi, Phœbe, grauis spumat vindemia musto,

Bacchus inexhaustas hic tibi fundit opes.

Te mitis Pomona pater, te frugifer annus

Autumno vernans in sua dona vocat.

Phœbus adest, nosco vultum, intonsosque capillos,

Aurata nosco fila canora lyra.

Pone nouena subit doctarum turba Sororum,

Virgineo tintas nosco pudore genas.

Adsumus ecce tuis affecti vocibus, infit

Nobilis Aonij duxtor Apollo chori.

Iusta tua est qua te versat sub pectore cura,

Quaque animos nostros non minùs ipsa premit.

Sed licet adspirans votis Heliconia lympha


Se tota emissis undique fundat aquis,

Prabeat & cunctas rupes Parnassia lauros,

Non dabitur dignis dicere tanta modis.
Hic est natalis quo duratura per eum
Gaudia Francorum protulit una dies.
Exsultans longos redeat repetitus in annos,
Pacatoque nitens aethere, nube vacet.
Et votis, summoque venit celebrandus honore,
Quem nullâ, ut par est, dicere voce queas.
Deinde nouum tibi surgit opus, noua ab aetheris alta
Materies lati carminis arce datur.
Accipe, natalem magni dum Regis adornas,
Alter quem celebres non tibi notus adest.
Quo Rex mense caput vitalibus intulit oris,
Hoc puerum coniux Regia mense tulit.
September cuius properas consumere soles,
Qui tanto sese Principe iactat ouans:
Qui se Delphino tollit per vota petito,
Idem Borbonidem sorte fauente dedit.
Ne dubita, exsultat geminato Regia partu,
Sparsaque gramineis frondibus aula viret.
Accensis magnam facibus micat aethra per urbem,
Et mediâ gaudet reddere nocte diem.
Latantis creber populi ferit aethera plausus,
Et resonant hymnis aurea templa pijs,
Assyrii circum cunas funduntur odores,
Quosque suo profert terra Sabaea sinu.
Sparguntur violae, & Narcissi murice picti,
Sparguntur nitido lilia lapsa polo,

Quosque dare Autunus nequit in cunabula flores,
 Hos vultu vernans ingerit ANNA suo.
 Dixit, & ex oculis doctâ comitante cateruâ
 Effugit propero nota per arua gradus.
 Dine parens nostro quid te crudelis Apollo
 Subtrahis aspectu? méque repente fugis?
 Magna quidem fateor tibi debeo, cuius ab ore
 Gaudia liligerâ sunt mihi nota domus,
 Et manifesta nouo Regalis pignore lecti
 Gallica in aeternum sors stabilita decus:
 Sed cur non primis respondent ultima factis?
 Cur tibi dissimilis? cur mihi dirus abis?
 Si mihi in augustum Regis nil suggestis ortum
 Quò mea se possit tollere Musa solo,
 Et tanto dignas emittere Principe voces,
 Quem mage mirari, quam celebrare licet:
 Da mihi natali quem narras blanda colendo
 Carmina, mellitum da mihi Phœbe melos,
 Quò niuei teneras pueri mea mulceat aures,
 Et molli recreet membra sopore chelys.
 Sed frustra cum voce manus huic tendo supinas,
 Euolat, & Pindi iam iuga summa tenet.
 Insequor audenti gradiens per deuia passu,
 Pierijque iuuat tendere montis iter.
 Hic ego vernantes decerpam è vertice lauros,
 Aonia infantis queis caput arte tegam.
 Tantùm ad sis nostri soboles lectissima Regis,

Non deerit nutus sors mihi dextra tuo.
 Auspice te bifidâ Pindus miki rupe patescet,
 Pegaseique sacer mi fluet humor equi.



IN NATALEM
 DVCIS ANDEGAVENSIS,
 CARMEN.

BORBONIDES placidis Septembribus nascitur horis,
 Nascitur, & nostris nascuntur gaudia terris.
 Lata puerperio facili, partuque benigno
 Vitales puerum Lucina educit in auras;
 Excipit hunc roseo grauida de matre cadentem
 Terra sinu, noua purpureo cunabula flore
 Aspergunt Charites, pomisque tumentibus ANNÆ,
 Candidulisque sacro distentis lacte papillis,
 Poma sua Autumno vernans interserit annus,
 Queis niuei circum iucunda crepundia pusi
 Ludere certatim atherei latantur Amores.

Adsunt Pierides, blanda que carminis arte
 Lacteola irriguum instillant per membra soporem;
 Plectra mouet, pueroque lyrâ blanditur Apollo,
 Nenia Phœbae mollis decurrit ab ore
 Somniferis deducta modis, cui pacifer Hermes
 Iungit dulce melos. Stant iuxta, prolis amatae

Aurea gaudentes deducere stamina Parca,
Prosperaque aratos per fusos volvere fata.

Accurrit, viridemque manus pretendit oliuam
Pallas, & admoto per eburnea pectora peplo
Injicit ardente pulchrae virtutis amorem.
Frondenti cunas velat Venus aurea myrto,
Sidereoque oculis arridens afflat honores,
Et pueru nitidos, quibus amulus ipse Cupido,
Effingit vultus, ac maiestate serenâ
Augusto decorat dignam diademate frontem.
Flammea Cecropium fundit per labra liquorem
Eloquij blando circumlita Suada lepore.

Qua fluios, montesque colunt, sylvasque virentes
Serta ferunt Nympha, contextasque arte corollas,
Et segmentatis properant obvoluere pannis,
Mellitumque student roseis vincire puellum
Fasciolis, quas ipse suo deuinxit amore;
Et charo affectant capiti substernere molles
Puluinos, stratoque artus componere in ostro.

Deseruere leues stellantis limen Olympi,
Et cunis tacite irrepunt Regalibus Hora.
Cara Iouis magni, Themidisque tenerrima proles,
Qua Diuū Dominam Augustam, eloquioque potentem
Mercurium niueis fertur lactasse papillis,
Splendida plus solito, festoque insignis amictu
Asidet infanti, cœli statione relictâ,
Et dulci officio puerilibus ubera labris

Admouet,

Admouet, ac tanto exsultans se iactat alumno.

*Sequana, Regalem placidis qui fluctibus aulam
Lambit, inexhausto glaucum caput exerit alueo,
Liligerosque gradus subit exsultante penates,
Et tenui sternit tecti penetralia iunco.*

*Sed subito in fluctus redit, ut properantibus undis
Oceano allapsus natalis gaudia tanti,
Quo se effert tumidus, toto circumferat orbe.*

*Ac veluti si quando nouus per amena virentis
Ruris, odoratas exspirans flosculus auras
Protulerit caput auricomum, circum agmine denso
Melliferæ glomerantur apes, auidaque tenello
Delibant studijs feruentibus oscula flori.*

*Non secus has teneri turbâ saliente Lepores,
Idalijque Ioci cunas contingere gaudent,
Suavis ubi magna Iunonis proditus horito
Flosculus ambrosios latè diffundit odores,
Et varijs hinc inde modis, salibusque decoris
Ludentes, puero confertim basia figunt.*

*Hos inter molles præunte Cupidine lusus
Aduolat è castris belli per membra cruento
Puluere respersus Mauors, puerisque recenti
Inuictos animos, & auita semina flammæ
Pectore sub tenero pugnas spirantia condit.
Hic illi varias circum cunabula lauros
Effundit plenis manibus, nouiterque trophyæ
Parta triumphalem spargit nascentis ad ortum.*

Hinc clara ingentis consurgit ad ore a belli,
Quam valido Atrebati perruptis impete muris,
Prostratique tulit victor LODOICVS Ibero,
Et pacis faustas infanti porrigit arrbas,
Vagitu posito vultum quibus ille serenum
Prabet, & in mollem tentat se exsolnere risum.
Inde micant spolia Austriaco distracta furori,
Redditaque in priscam Taurini mœnia sortem,
Terrifica domini exsultant de clade Tyranni.
Parte alia Regi prætendit verba precantis
Sævo pressa iugo, populatis squalida campis,
Incensis domuum mœrens Catalaunia tectis,
Et miseris præsens populis in publica numen
Vota vocat, séque à rabie tutetur Ibera
Per blandum pueri Natalem postulat orans.
Illa salutiferam precibus sortita potentis
Regis opem, cui cura homines non digna ferentes
Eripere è medijs animo miserante periclis,
Lata suum grato celebrat cùm laudibus ore
Alcidem, properatque sacris se aduoluere cunis,
Sub quarum auspicio auxilium tam nobile sensit:
Et magno, extrema Hesperia sub finibus ore
CONDÆO partes iniucti Regis agenti,
Et toto assiduas versanti pectore curas,
Quò Regis, Regisque decus super aethera tollat,
Legatos olea mittit, vittisque decoros
Qui dignas tanto referant pro munere grates,

Factaque cum magno LODOICO fædera firment.

Vndique Palmarum glebâ seges ubere surgit,
Vndique honoratas videas accurrere lauros;
Lapsa polo circumvolitat, gaudetque tenellum
Aureolis tegere infantem Victoria pennis
Arma sequens magni Regis, dextramque potentem,
Et bello invictum per mille pericula pectus,
Consilijsque accita viri, quem Palladis arte
Insignem Superi Regi adiunxere fauentes,
Qui celsum magnis calo caput inserit actis
Dotibus ingenij eximijs, animique beatis
Æternisque bonis latè RICHELÆVS abundans,
Inuidiâ, solitum cui magna lacesse, maior,
Laudibus & titulis, atque omni maior honore,
Quem solida aduersis virtus exercita rebus,
Divinitus animosa suis, propriâque resulgens
Luce magis, quam qua Romano è murice surgit,
Sub pedibus premere humana ludibria fortis,
Impavidumque dedit terra, pelagiique frementes
Ferre minas, placidaque alta rationis ab arce
Despicere intrepido mortales pectore casus;
Frigida mens cuius, terrenaque inscia facis,
Dum cœlo suadente, sui tenuare iubetur
Sollicitos Regis curâ incessante labores,
Imperij penitus partes infusa per omnes
Magnam agitat, tollitque erectam ad sydera molem,
Et debellatis invicto Marte superbis

Borbonias tantis cunas successibus auget.

Fortunate puer, qui sol tibi luminis usum
Magnificos idem patri, patriaque triumphos
Imperitur ouans, palmisque ingentibus ornat
Quas tibi dat primas sub amico sydere luce.

O nubo eternum nobis signande lapillo,
Qui grauido latis Autumni frugibus anno,
Lucibus equali socias Hyperione noctes
September, blandoque nitens sub Virginis ore,
Et rutila placida positus sub imagine Libra,
Septimus in menses antiquo ex ordine surgis,
Felix, diligenter sub quo datur aethere terris
Cum tantis domino tantus puer hoste trophais.

Tempore non alio in terras demissus ab alto,
Et datus à placido Gallis loue, cura Deorum,
Deliciūmque hominum, Franci spes altera Regni
DELPHINV'S, patriae spirans virtutis imago,
Et roseo matrem ore ferens, ac frontis honore;
Quem mea venturum iactauit pagina * sacro
*In praefat.ad Placita Cur.edita 8.Iun.1638.

Numinis afflau, dum scitis illa Senatus,

Quod dedit in lucem, calamo pralusit ouanti.

Tempore non alio amborum pater aethere sacrum
Extulitos, mundūmque suo illustrauit Eoo,
Eximius telluris bonos, cœlique fauentis
Summus amor, fidei vindex LODOICVS auita,
Institia columnen, vera virtutis asylum,
Defensor libertatis communis, & acer

*Assertor populi dura sub lege gementis ;
 Qui pauidos infixos Francorum corde timores ,
 Ne cælum Henricus Magnus sinè prole subiret ,
 Exsoluit natus seculo nascente , sacrisque
 Firmavit nostri Regni fundamina cunis ,
 Ortygiāmque suam exoriens , velut alter Apollo ,
 Bacchantes dedit immotam contemnere ventos .*

*Tempore non alio Superūm data numine terris ,
 Hispani decus ANNA soli , qua mensē sub illo
 Paucos antè dies , quām se LODOICVS in auras
 Proferset , cælo patuit delapsa sereno ;
 Mox sacra liligeri veniens in fædera Regis
 Cœlesti socianda viro Iunone secundâ ,
 Admiranda dedit toti spectacula mundo ,
 Dum roseam occiduis Auroram cernit ab oris
 Surgere , & inde suo , cuius rutilantia cælo
 Lumina prauerit , latam se adiungere Soli .*

*O bene quām concors , & quām se congrua monstrat
 Fatorum series ! miro quāmque ordine cælo
 Proueniunt isti quos Gallia suspicit ortus !*

*Septembrem hinc regit Erigone , qua prisca potenti
 Secula Iustitia Virgo sub lege regebat ,
 Nunc terris , hominum vitia indignata , recessit ,
 Effulgētque polo pudibundo Virginis ore ,
 Sydereis magni iussu Iouis addita signis .
 Inde suo mensem hunc moderatur pondere Libra ,
 Sub qua Roma auibus perhibetur condita faustis ,*

*Quæ se dum paribus tollit sublimis Olympo
Lancibus, aequalique ingatas fædere necit
Noctes atque dies, aqui iustique figura est.*

*Sic decuit Regem LODOICVM nomine Iustum,
Quo Themis alma viret, florent quo vindice leges,
Romuleæ cui fata parant ditionis habenas,
Cuius auent latis Aquila se adiungere signis,
Purpureaque agitare inter sacra Lilia pennas,
Sic certè decuit talem mortalibus ægris
Ætherea de sede dari Septembribus horis.*

*Sic decuit tali prognatam stipite prolem,
Mense illo, quem Iustitia natura sacrauit,
Cuius Æ auspicij toto caput extulit orbe
Roma potens, superas educi in luminis oras.*

*His ergo ominibus tam faustis edite Princeps,
Tam miro Superum concordibus ordine fatis
Sydereo demisse polo, carissima Regis
Progenies, dignus DELPHINO Principe frater,
Latus in Euboicos repetitis orbibus annos,
Illustræ proprijs atavos virtutibus aquans,
Et superans, patrias inter lectissime lauros
Cresce puer, factisque orbem præstantibus imple,
Quæ per utrumque polum vectus rutilante quadriga
Phœbus anhelantes ducit cum luce ingales.*

*Interea blandis oculis, Æ fronte ferent
Sumæ genethliacis cunis affusa Poëta
Vota modis, tanta, qua te manet, omnia laudis*

*Arripe, subridensque tui, qui lapsus ab atra
Candidus exultat, Genij sacra tempora circum
Serta sine, & Syrios effundi thuris honores,
Ac Diuo viridante aram de cespite ponit;
Virtuti dum fama tua, atque ingentibus ausis
Destinat, ut properata virum te fecerit atas,
Erigere augustum Pario de marmore templum.*

DE NATALI REGIS, ET REGIÆ PROLIS.

Septembri, qui tum Librā, tum Virgine fulgens,
Iustitiae superā sub imagine labitur arce,
Imparibus nati fato meliore diebus,
Et Iustus pater, & Iusti dignissima proles,
Nulla pares unquam terris queis secula proment.

Mense sub hoc, qui Borbonios sibi vindicat ortus,
Vecta Hyperonio vicefima septima curru
Extulerat caput alma dies, cœloque ruebat,
Exsultante polo nostrum cum prodit in orbem
Orbis honos, quo Francorum celeberrima surgit
Gloria, Religioque patrum renouata virescit,
Rex nulli aquandus LODOICVS nomine Iustus;
Tempore quo Cosma & Damiani sacra per aras
Rite dies colitur, morbis quos fida vetustas

Ludouici
XIII
naturæ
27. Sep-
tembris,
qui Cos-
ma &
Damia-
no sacer-

*Mortales perhibet medicâ quondam arte leuasse,
Et magno in mortem properantibus impete fatis
Iniecisse manum Parcâ indignante morantem;
Scilicet Hæreseos funestâ tabe pereſo,
Poscentique manum medicam succurrere Regno
Qui posset, talem prodire hoc tempore Regem
Omen erat, tantaque rei lataſile ſignum.*

Delphi-
nus na-
tus die
Domini-
ca s.
Septem-
bris.;

*Qui patrem populi, prolis quoque fecit ouantem
DELPHINV S celo delapsus ab aethere patrem,
Sidereaque tulit dona exoptata Diones,
Ille die quintâ, Domino, Solique dicatâ,
Inſigni numero, ſacris ſocialibus aptum
Coniugij quem priſca refert doctrina Sophorum,
Et totidem elata monſtrant per compita tadae,
Queis olim ſolita celebrare hac fœdera gentes,
Prodijt in lucem poſt vota ingentia primus
Connubij augufti fœtus, Dominique, Deique
Magnum opus, humanaque oculis mirabile mentis.
Quem ſibi non ſecus ac Solem illuxiſſe ſerenum
Tota ſui compos gauſa eſt Gallia voti.
Quémque triumphali cinctum ſacra tempora lauro,
Gloria, cum prium matura adoleuerit etas,
Per totum factis ingentibus efferet orbem,
Quâ quinque incinctus rutilante ſub aethere Zonis
Tellure, undosoque ingens patet aquore mundus.
Inde die bis deno, unam cui iungito lucem
DELPHINO adiunctus geniali fœdere frater*

DUX An-
degaue-
fis. 22.

Borbonides,

Borbonides , festâ Matthai luce decorum
Extulit os , faustoque poli iubar omne vidit.

Tempore quippe illo , longis quo semina sulcis
Mandari , magnos referant qua farris aceruos ,
Lex antiqua monet ruris cui cura colendi ,
Borbonidem nasci voluit Deus ; unde bonorum
Largam olim segetem nostris flauescere campis
Cernere erit , Francosque ingenti messe beatos .

Principio nobis igitur per secula cultu
Semper honoratus studio celebretur ouanti
September , sub quo Francis bona tanta benigno
Defluxere polo , & rutilanti murice nostris
Inscriptus fastis , LODOVÆI nomine mensis
Se ferat , & tanti tituli insignitus honore
Latus inoffenso procedat ab aethere gyro .

DE ATREBATO EXPVGNATO.

INUITIS LODOICI armis , miraque sagacis
ARMANDI supplex Artesia arte cadit .
Fallor , an illa cadit Franco qua reddit a sceptro
Ad priscum erigitur sorte fauente decus ?
Qua sauis erepta Leonibus , ad sua tandem
Latæ sub Augusto Lilia mense redit ;
Augusto augurio Ducibus qua dedita ternis
Augusti recipit Principis imperium ;

*Quæ magnis LODOICI animis, augustique Ministri
Consilia attonito tollit in astra polo;
Quæ DUCIS Enguieni tanto primordia bello
Iactat ouans paucos vix meruisse senes;
Hanc quis sublimem rediuiuo surgere honore,
Augustaque neget conditione frui?*

DE EODEM EXPVGNATO DECIMA DIE AVGVSTI.

Augusti bis quina dies quæ dira per arua
Quintini rabido fusis certamine Francis
Non augusta fuit; Diui quæ numine sacra
LaurentI, victis infenso sydere Gallis
Non lauro redimita dies, sed amicta Cupresso
Funereâ, lacrymisque madens, atque obsita luctu
Damnavit nostros atrâ fuligine fastos;
Illa modo, inflexis studia in contraria fatis,
Purior, Hispanis domitis, assurgit Eoo
Littore, Titanisque comâ meliore coruscat.
Mænibus Atrebati sub pristina iura redactis,
Austriaco Gallis frustra obluctante tumultu,
Non hac atra dies posthac; victoria latæ
Aspirante polo cingunt iam Lilia laurus;
Partaque de tumida quæ surgunt gente trophaæ
Francorum decorant augusto murice fastos.

Hac est summa tua, LODOICE, potentia dextra,
Quæ rabidos rutilo Titanas fulmine terret.

Hac vis, ô ARMANDE, tui quo Gallia floret
 Consilij: sic ille iacet prostratus Iberus
 Qui vanum supero caput attollebat Olympo.

Sic tibi Rex inuicte datum fuligine tetrâ
 Squalentes riueo luces variare lapillo,
 Vertere Fortunam, aduersis dare prospera rebus
 Fata, triumphales è funere carpere lauros,
 Eruere è tenebris lucem, infaustisque Cupressis
 Inserere aternos palma felicis honores,
 Successusque bonos, quantumuis omne lauo,
 Humanae passim proferre in commoda gentis.
 Hic pietatis honos, cui sors & sydera parent.

OTII SYLVESTRIS ABDICATIO.

ITE Aganippæa blanda oblectamina turba,
 Itæ leues Elegi, grandique elata cothurno
 Carmina, Musarum cithara, Phœbique canoris
 Cum fidibus plectra ite procul: vos rura valete,
 Vos nemora, & saltus, & ameno gramine campi
 Menilij, vacuas querulis ubi litibus horas
 Egimus, Autumno placidam indulgente quietem:
 Et dignos inter Musis & Apolline lusus
 BORBONIOS modulante lyrâ celebrauimus ortus,
 Atrebatiique manu Regis victrice subacta

*Mænia, consiliisque augusti parta Ministri
Hispano indignante, mari, terraque trophyæ
Cantantes tulimus sublimi ad sydera versu.
Jam præceps ruit Autumnus voluentibus astris,
Urbanae redeunt curæ, redit actus in orbem
Judicibus labor, inque forum, infestumque tribunal
Nos retrahit Themis, & repetito muneris actu
Dura ministeria indicit, nimiumque severa
Lege, reluctantes studijs auellit amicis.*



EMINENTISSIMO CARDINALI, DUCI DE RICHELIEV.



VAM purpuram adorare, & summæ,
quâ tuum Numen prosequor, venera-
tionis indicem & testem tabellam tuis
tholis appendere semper in votis fuit,
CARDINALIS EMINENTISSIME.

Impellebat ingens admiratio tui, quæ te per omnia
ingenio & moribus Dijs, quam hominibus propio-
rem in tantum laudandum præbet, in quantum in-
telligi virtus potest. Reuocabat animi tui sublimi-

tas, quæ super humanam & naturam & fidem euecta, & supra verborum omnem commendationem & titulorum dignitatem posita, ne culpâ ingenij laudes tuas detererem cauendum imprimis admonebat. Inter hos cogitationum æstus subiit animum publica exsultatio, quæ in optatis Illustrissimæ tuæ BRESÆÆ cum LDOVICO BORBONIO Enguiennensi Duce nuptijs bonos omnes affecit, & me, nūquam laudato satis CONDÆO multis abhinc annis vsu mancipioque addictum, præcipuo quodā voluptratis senti perfudit. In hoc ego mentis exsultantis statu, experimento didici ad lætitiam pertinere vt sele exerat, & gaudio vim rupendi silentij inesse non leuem. Iam quidem ab ineunte vere anni proximè elapsi Carmine Regio, huic, quem apud nos fama vulgauerat, Hymenæo præluseram, & vel ipsâ rei tam gratae imaginē pellectus, inter leues popularis auræ rumores natos versus emiseram. Nunc, re feliciter peractâ, non potui cohibere stylum effervescentem, & subito quodam impetu extemporele Carmen effudit affectus currente calamo, & erumpente lætitia quæ sui impotens est. Vtrūque Opus non eodem ordine quo editum, eodem tamen voto Celsitudini tuæ lubens offero, CARDINALIS EMINENTISSIME, & Musam, quæ hos impolitos fœtus tulit, aris tuis aduolutam consecro. Auribus tuis obstrepet rudis & inerudita, vt quæ à

Parnasso procul, quem tu doctrinæ luce & facundiæ
nitore magnus Apollo ad admirationē imples. Sed
leniet, ut spero, iniucundum strepitum prona in de-
uotos tui cultores benevolentia,

— — — *Mutis quoque piscibus*

Donatura Cycni si libeat sonum.

Et, quod apud Deum fieri amat, dabit affectui meo
diuinus tuus Genius quod ingenio deest. Vale,
CARDINALIS EMINENTISSIME, &
virtutes tuas Gallico decori, & bono publico natas
summâ religione colentē fer benignus, qui blādien-
tem fortunam ita fers, ut super eam te efferas, morū
& animi moderatione numquam satî extollendâ.



IN N V P T I A S

DVCIS ENGVIENI,

ET HEROINÆ BRESÆÆ,

AD

EMINENTISSIMVM CARDINALEM

DVCLEM DE RICHELIEV,

C A R M E N.

ENGVIENI *Ducis, & BRESÆÆ Heroidis*
ignes, sculoribus suis rite, audito
Quos plaudente polo tarda accendere iugales,

Felices thalamos, exoptatosque Hymenaos
 Blandus Amor, tanto qui se super athera tollit
 Coniugio, modulante iubet celebrare Thalia,
 Pieraque fauens cithara mihi plectra ministrat.

Tu cuius latè cognato fulget ab ostro
 Tam magno sociata Duci dignissima coniux
ARMANDE, Aonidum decus, & tutela Sororum,
 Magne Dei Antistes, Regis diuine Minister,
 Seu celsi tractas sacra intemerata Tonantis,
 Aut Regni inuigilans operosa negotia curas,
 Et totum augusto libras sub PRINCIPĒ mundum,
 Accipe quos subito vati dedit impete versus
 Latitiae vis grata sua, arridensque Cupido
 Suggessit, Paphiasque inter, que te auspice cælo
 Assurgunt myrtos, humilem sine serpere Oliuam;
 Quæ si fata iuvant, auditque vocatus Apollo
 Fortè tuis olim sese inseret ardua lauris.

Parnassum gemino surgentem ad sydera colle
 Liquerat, errandi studio, terrasque videndi
 Dulcis Hymen, cum blanda soli natalis imago
 Obuersans animo patriæ dulcedine captum
 Castalias Nymphas, Phœbūmque reuisere suasit.

Vrbibus exemplò abscedit, tectisque superbis,
 Et nineis innectus adit per nubila Cycnis
 Spreta diu bifidi nemorosa cacumina montis:
 Huc delatus ouans, Musarum pectore toto
 Optatos petit amplexus, atque oscula iungit,

*Excusatque moras. Reducem aduenisse Camœnū
Gratantur, mox ille loci pellectus amore
Singula Parnassi solus viridaria lustrat,
Roscidaque antiquas spectat per gramina lauros,
Perpetuo latē vernantes flore iuuentā,
Et rutili nullos expertas fulminis ictus.*

*Dum spatiatur Hymen, oculōisque per omnia versat,
Fortè Aganippai muscoſo in margine fontis
Vidit inaurata iaculantem tela pharetrā
Egregium formā iuuenem, cui flammens oris
Stabat honos, miro cui circumfusa decore
Regia surgebat placidi reuerentia vultus.
Tum non inde procul per florea prata puellam
Pallentes violas, & lilia grata legentem
Candidulōque rosas carpentem pollice vidit:
Intactum cui frontis ebur, roseūisque genarum
Splendebat rubor, atque oculis volitantis Amoris
Syderei pudibundo ignes fulgore micabant.*

*Dum dubitat tanta stupefactus imagine forma
Pulcher an ille Ioui non inficiandus Apollo,
Cypris an hac, iucunda hominum, Diuīmque voluptas,
Aut aliud superē demissum sedis ab arce,
Thessiadum umbrosis postquam discessit ab antris,
De procerum numero, primōque ex ordine numen,
Haret Hymen cupide amborum defixus in uno
Obtutu, iuuenisque inhians modo suspicit ora,
Ora notis belli, pacisque decora sereno,*

Inde ferum Martem, placidum hinc referentia Phæbum;
 Virginis & rutilos modò contemplatur ocellos,
 Vnde faces, & certa parat sibi tela Cupido,
 Ambrosiósque leui per lactea colla capillos
 Vndantes Zephyro, & flammantia murice labra.

Non aliter viridi pictos in gramine flores,
 Et veris genialis opes, quas blanda Faunī
 Aura fouet, niueo, roseoque colore nitentes
 Idalia fixo mirantur lumine Nymphæ.

Versanti dubiam per tot miracula mentem
 Obvia doctarum mater veneranda Sororum
 Mnemosyne occurrit, blandâ quam voce precatus
 Ignaro facilis memoret quo sanguine cretum
 Par illud iuuenum, quo se se numine cœlo,
 Nominéque attollant: non auersata rogantis
 Audijt illa preces, placidoque hac edidit ore.

Dinorum genus hi iuuenes, quos anxius optas
 Noscere, digna tuo hac qua stat sub corde cupido,
 Nomina nec tam clara vanquā meminisse pigebit.

Ille vides pharetris, & eburno nobilis arcus
 Os, habitumqne Deo similis, quem prima iuuentæ
 Gratia ridenti niucum lanugine vestit,
 Dux est ENGVIE NVS, sacro de stipe surgens
 BORBONIDVM, quem nobilitat celestis origo,
 Aurea sydereo decorant quem lilia flore,
 Tergeminisque micant diuino in stemmate culmis,
 Huic genitor magni CONDAEV S nominis heres,

*Nomine sed magno, & titulo sublimior omni,
Bellona, Themidisque decus; cui turba Sororum
Assurgit, Cyrrhaeque Deus, cui maxima laudes
Ipsa suas cedit Pallas, qui prælia blandis
Artibus, & docto bellantis Apolline Martis
Sanguineas miro cum fædere temperat artes.*

*Quo duce per varias Regni temeraria partes
Haretica cecidit prostrata rebellio gentis,
Et pietas asserta patrum, sacrisque Tonantis
Quem furor hic violarat, bonos est redditus aris:
Quo duce ab Austriaco viget illibata furore
Inclita paciferis Landgotthia diues Oliuis,
Securisque polo felix Aquitania campis
Surgit, & ingentes Hispania passa ruinas
Mæsta triumphatis defigit lumina terris.*

*Hoc genitore sato, magni Heroïna decoris,
Quæ castis Veneres, Charitësque leporibus anteit,
ENGVIE NO est genitrix, quæ se virtutibus effert,
Magnanimisque refulget avis, queis creditus ensis
Regius, & Franci data bellica munia ferri.
Concessumque diu celebres moderamen in oras,
Septa Pyrenaïs quæ se protendit in aquor
Terra iugis, Rhodanique vadis, alueoque Garumna
Stringitur, & patrios gremio fouet ubere Volcas.*

*Huic patrij rutilo Maiores stemmatis auro
Conspicui, longoque implentes ordine fastos,
Liligeræ ornamenta domus, noua sydera cœlo*

Addita, per varios Regni numerantur honores,
 Inclita quos partis terrâque, marique triumphis
 Et Cerisola à Mauortis adorea pugnâ
 Insignes, Superis famâ & virtutibus aquat.

Hunc, ubi vitales primū est eductus in auras,
 Borbonia rapuit Clio è penetralibus aulae,
 Subductumque sacro puerum de muricis ostro
 Aonij statuit prærupto in vertice collis,
 Castalioque dedit largè de fonte bibentem
 Inter odoratas Parnassi adolescere lauros.
 Illius hic varias animum coluere per artes
 Pierides, tantoque exsultans Phœbus alumno
 Assiduus iuueni incubuit, miroque capacem
 Omnigena impleuit doctrina lumine mentem.
 Ipsa suas vltò Pallas, quas diligit, arces
 Deseruit, bifidique petens iuga frondea montis
 Cum Musis, Phœbōque grauem, vigilemque magistram
 Se dedit ENGVIE NO. Thrace Mauortius Heros
 Posthabitâ, Odrysios agitans per rura iugales,
 Parnassum subiit, galeaque insignis, & armis
 Se magnum iuueni doctorem prabuit acris
 Militie, atque omnes bellorum instruxit in usus.

Non ita Dardanidum terror generosus Achilles
 Semiferi præcepta senis sub pectoris imo
 Condidit, ut Franci decus ingens nominis HEROS
 BORBONIVS, cunctas tantis doctoribus artes,
 Et belli, pacisque animis inhiantibus hausit,

Non ita Malcandri mortales eluit Isis,
 Ignéque consumpsit purgatio corpore sordes,
 Ut conspiranti Musæ & Tritonia voto
 Quidquid in ENGVIENVM terrena facis ab ortu
 Fluxerat, abstersere Dea, patris igne Minerua
 Vsa Iouis, sacróque Heliconis fonte Sorores.

Hic ille est quem tu leuibus miraris in armis,
 Dum ferrum blando pharetra oblectamine mulcet.
 Quid si illum Martis galea, armatumque Minerua
 Ægide vidisses belli simulacra ciere,
 Sublimemque in equo, flammásque per ora vomentem
 Terrificum tremuli volitare per aquora campi?

Illa autem egregio cuius sedet ore venustas
 BRESÆA est, plenis quæ nondum nubilis annis
 Occulto crescit velut arbor nobilis auro,
 Sydereos cui subridens incident amores
 Cypris, & aurata signabit cuspidis ictu,
 Præcipuásque inter frondes sibi Diua sacrabit.

Huic pater Herculea quassans adamantina clavae
 Robora, liligerásque trahens in pralia turmas
 BRESÆVS, quem tota ducem Germania Rheno
 Horruit attonito, claro cui stipite magni
 Per fasces censemur aui, quos aucta trophaeis
 Gloria bellantes famâ super æthera vexit.

Huic mater veteris RICHELÆA ab origine getis,
 Moribus eximis, propriâ & radiante parentum
 Nobilitate vigens, illustri stemmate dines,

*Maiorum serie insignis, quos viuida virtus
Pace simul, belloque nitens præstantibus actis
Extulit, & cœli meliore in parte locauit.*

*Felix oī iucunda diu si virginis ora
Stamine producto tribuissent fata tueri,
Inque maritales properantem assurgerē tadas
Crescentis sensim atatem numerare dedissent.
At fera præcipiti florentes abscidit annos
Parca manu, miseraque abruptit gaudia matri.
Sic visum Superis; funus sed pensat acerbum
Germanus patriā erpta pietate superstes;
Et si mater abest, RICHELÆVS auunculus orba
Restat, Io superi, tanto sub numine felix
Cœlitibus quæ vota potest suspendere virgo?*

*Hic ille est terris calo demissus ab alto
ARMANDVS, magnis cuius res Gallica curis,
Atque indefesso fertur super astralabore:
Cuius inexhaustâ domitam virtute faretur
Se fortuna potens, posuisse immobilis alis
Assiduam lateri comitem se reddere gaudet:
Quem camentitiâ constrictus compede Nereus
Aggere saxorum, atque operosa pondere molis,
Arboribusque super stratis non antè repertâ
Arte rebellantis se iungere mœnibus urbis,
Affuetoque viam vetitus decurrere campo
Fræna mari dantem stupefactis suspicit vndis:
Æratis cui vincita iacet Rupella catenis,*

Clara Gigantao Rupella furore, sed ipso
Clarior excidio, tantaque autore ruina:
Cui nimia feritate tumens Albanus Olympo
Dum se Mons aquare parat, depresso ad instar
Vallis, adorato posuit diademate fastus
Dura supercilia: inuicto cui tristis Erynnis
Hæreticis agitans ciuilia bella maniplis,
Inque duas gaudens Regnum discindere partes,
Cessit in horrendas Erebi detrusa latebras:
Cui magni toto firmatam corpore Regni,
Nunquam intestinis olim exsaturata querelis
Gallia concordi debet sub fœdere pacem:
Qui libertatem populis, quos dira premebat
Austriaca fortuna domus, datus aethere vindex
Afferens, docuitque pio sub PRINCIPE iustis
Ausibus humanas nequicquam obſistere vires:
Qui dum sublimi rutilantia lilia culmo
Per terræ, pelagique vias ad sydera tollit,
Deiectis trepidas Aquilis auellere pennas
Gaudet, & insanis laniare Leonibus ora,
Arrectasque horrore iubas, animosque feroces
Deprimere, indomitosque solo prosternere Pardos:
Qui cautus, sapiensque Dea aspirante Minerua
Consilijs illos vicit, qui Marte subacti
Solerii nostros ludebant arte triumphos,
Effecitque potens, ne quorum vicerat arma,
Ilorum ingenio gemeret se Gallia victam:

Auspice quo ventosus Iber, qui nuper adibat
 Sydera, & astriferum Iouis affectabat Olympum,
 Detractis Orbis spolijs miser ore cruento
 Mordet humum: Austriaca quo vindice corruit alto
 Culmine, non homini toleranda potentia gentis:
 Qui fidei errores exscindere certat, & acri
 Inuigilat studio Hæreseos quod restat in agris
 Liligeris lolium, sterileisque incendere auenas
 Igne Dei, & largæ Christo dare gaudia messis:
 Cuius diuino pietas insignis amore,
 Ætherea puro doctrina lumine fulgens,
 Et totum spirans incenso pectore Christum,
 Romulea quondam decus est auctura Tiara.

Hic ille est tandem cuius, sub Principis armis,
 Imperioque, omnis libratur sensibus Orbis,
 Fatique consiliij vim non inuita sequuntur:
 Quem blandè vestigat honos, propriaque beatum
 Virtute, & nullis inhiantem fascibus ambit:
 Cui datur indignos, indignantesque tueri
 Sub pedibus fato riuales vindice fusos,
 Spirantesque in morte graues sine viribus iras;
 Cui sub inoffenso stat pectore mentis abenum
 Robur, & humanos animus rationis ab arce
 Despiciens casus, medio velut aquore rupes
 Qua tumidas inter surgit secura procellas
 Æolisque immota minis, timet ipse rigentem
 Pontus, & armata metuunt contingere puppes.

O quantum decus ille meis per secula fastis
 Inserit! o quantum illius præstantibus actis
 Historia rutilo sub murice pagina crescit!
 Et quantam nostris mirâ virtute Camœnis
 Carminis altisoni segetem infert! totus in illo
 Phœbus, & Aonidum desudans turba laborat:
 Iamque gemens tanto Pindus sub pondere laudum
 Vix se ferre potest, texendis iamque coronis
 Deficiunt bifido surgentes vertice lauri:
 Deficit & sacri scribendis versibus humor
 Permessi, exhausto tanta in præconia fonte.

Huic magno Heroi consanguinitate propinquam
 BRESÆAM teneris per blanda crepundia ludis
 Non patrj tenuere lares, sed ab ubere raptam
 Vrania Aonio socijs plaudentibus antro
 Intulit, & primis mores effinxit ab annis,
 Omnigenaque premens animum virtute poliuit.
 Iunxerunt sese comites, grataque laboris
 In partem alternâ venerunt sorte Sorores,
 Quæque suas properans certatim impendere curas:
 Ipsa etiam Charites superâ Fouis arce relictâ
 Orchomeni nitido lustrata fluminis alveo,
 Parnassi subiere iugum, miroque puellæ
 Implérunt animos, & eburnea membra lepore.
 Venit & inflexo calathos de vimine textos,
 Purpureique gerens stellantia stamina pepli,
 Fæmineas monstrare artes Tritonia Virgo,

Sidereaque

Sidereaque dare ardentem virtutis amorem.
 Sic Triviam Latona suam, sic pulchra Dione
 Formauit Venerem. Non plura locuta recessit
 Mnemosyne, & notum Dea se prorupit in antrum;
 Mille ubi suspensi defixa in robore saxi
 Apparent rerum species, variaque figura:
 Quas inter qua Borbonia facta inclita Gentis
 Effigies referunt longo positæ ordine surgunt,
 Regis ubi LODOICI aureum, ARMANDIQVE
 Ministri

Insculptum tabulis nomen seruatur abenis,
 Scriptus ubi rutilo CONDAEV^S murice fulget,
 ENGVIE NVSque patrem primis qui reddit ab annis,
 Maiorūmque oriens illustres exhibit umbras.

Interea tacito secum sub corde voluntans
 Sanctus Hymen cupidā arrestus quos hauserat aure
 Sermones, celerēmque animum per singula versans
 Hos tandem statuit iuuenes, quorum ardet amore,
 Aptæ toro teneræ cùm sese Virginis etas
 Proferet, adstrictos nexus sociare iugali;
 Ut quia CONDAEV^M RICHELÆO aquabile
 iungit

Fædus amicitie, morūmque haud disparate vinclo
 Intemerata fides magno sub PRINCIPE necit,
 Hos etiam, tantis qui iuncti Heroibus arcto
 Naturæ nexus mundo illuxere sereno,
 Concordes animis, & toto pectore mistos

Iungat inabrupta fœdus geniale catenâ:
 Tum manibus quatiens tadas; His ignibus (inquit)
 Vrere vos stat certa mea sententia menti:
 Audiat hæc superi magnus regnator Olympi,
 Audiat, & placido sacra fœdera fulmine firmet.

Exemplò nitidas Cœli manifesta per oras
 Signa dedit Pater altitonans, de parte sinistra
 Ætheris effulgere ignes, & pronuba Iuno
 Purpuream grauidis depinxit nubibus Irim,
 Ac latos Nympha manibus plausere per agros.

Ex illo iuuenes primo inuisebat Eoo
 Blandus Hymen, Musásque inter, reliquisque per agros
 Numinibus iunctos audi spectabat ocellis,
 Et celeres annos, atque oxyüs ire comantes
 Solis equos, properásque intorto verbere bigas
 Noctivaga optabat cœlo decurrere Luna.
 Quòmatura viro ENGVIENI BRESÆ Amaritos,
 Fret in amplexus, maternaque gaudia discens
 Illustres daret ARMANDO fœcunda nepotes.

Jamque recurrenti sua per vestigia gyro
 Pubentes Titan BRESÆ aduexerat annos,
 Gaudet Hymen, tadásque parat, velumque pudici
 Flammeolum affectus celebrando latus adornat
 Coniugio, statuitque oriente reuisere sole,
 Aonique sacros coniungere montis alumnos.

Non ille ignivomum surgentis ab athere currum
 Aurora exspectans, placidam per membra quietem

Nocte capit, menti connubia cara recursant,
 Proximaque arrectum subducunt gaudia somno:
 Talis Olympiaci sacra cui certamina Circi,
 Emenſis longi ſpatijs redeuntia luſtri
 Pertentant animos instantis imagine laudis,
 Crastina ſollicita dum præmia mente reuolvit,
 Eleisque inhiat palmis, Oleaque coronis
 Prendere quas ridente ſibi iam ſorte videtur,
 Inſomnem dicit per vota frequentia noctem.

Nuntia venturi coniux Tithonia Phæbi
 Sparſerat optata primordia flammea lucis,
 Et roſeis pictum digitis variauerat axem,
 Quem nox atra ſuis obductum infecerat umbris,
 Nec mora, tendit Hymen notis ſuccedere campis,
 Pracipitatque gradum. Sed quantum in rebus inane eſt,
 Et quam vana ſibi ſpes credula ſomnia fingit!
 Qui petitur dilectus abeft, fruſtraque per omnes
 Aonie occultos vallis, collisque recessus
 Quaritur ENGVIE NVS, fruſtra ferit athera clamor,
 Nomine nequicquam Enguieni nemus omne resultat,
 Nec tantum clamatus Hylas, clamatus Oſyris.

Quid faciat tanto fractarum in turbine rerum
 Nescit inops animi, E casu stupefactus amaro.
 Stat tandem cunctos terra percurrere tractus,
 Vnde oritur Titan, vitreis ubi mergitur undis,
 Qua medio ſuccendit humum Sol igneus axe,
 Qua sub vitroque rigens glacialis cardine mundi



Savit hyems, gelidisque indurat fluctibus aquor.

Auolat extemplo, Cyrrhamque relinquit amatam,
 Fortunata suum sibi dum seruabat alumnum,
 Nunc rapto ENGVIE NO inuisam, virosaque magno,
 Qui miserum cruciat prabentem alimenta dolori.
 Quà spatiofa iacent non uni peruvia Soli,
 Arua celer peragrat, populosas circuit urbes,
 Pastorumque casas, Regumque superba frequentat
 Limina, quà inuenum teneris immixta puellis
 Turba recurrentes plectro modulante choreas
 Dicit ouans, pleno quà Comica Musa theatro
 Syrma trahit, pauidas quà fulmine territat urbes
 Et crebro pugnas miscet cum funere Mauors,
 Omnia terrarum cursu loca lustrat anhelo,
 Taurini simul, Atrebatique tonantia castra,
 Armatisque subit glomerato milite turmas:
 Hic equidem ENGVIENI geminatis vocibus audit
 Nomen, ad hoc inhians, arrestisque auribus adstat,
 Addit & ipse suas imo de pectore voces;
 Sed nusquam appareat totus quem personat aether.
 Inde mare ingressus, si quo latet aquore quarit,
 Nymphaiumque domos, Nereique minantia regna
 Percurrit, quaque horrendo cum fulmine classes
 Apparent multo fœdantes sanguine fluctus,
 Miscet se medijs immota mente periclis.

Sic terris iactatus Hymen, iactatus & undis
 Multa gemens, laniansque comas, & pectora tundens



Infelix desiderio tabescit amati
 Principis, inque dies agrescit pectore vulnus;
 Quà graditur micat accensis via fulgida tædis,
 Sed misero spes nulla micat. Sic dicitur olim
 Quasiuisse suum Cythereia mater Amorem,
 Persephonéisque Ceres, passis quas terra capillis
 Errantes quacunque dolor malesanus agebat
 Vedit, & indoluit casus miserata Dearum.

Sapius in varias sensim mutata figuræ,
 Fratre suum illustrante globum non legibus aquis,
 Caruleis totum bigis decurrerat axem
 Ingentes spectans Hymenæi Luna labores;
 Cum memor ille Iouem haud dubijs ea fœdera signis
 De supra firmâsse plaga, discedere terris
 Inuisis, Diuîmque domos penetrare beatas,
 Et summum statuit gemebundus adire parentem.
 Prepetibus liquidum volat inde per aëra pennis,
 Quas illi formosus Amor miseratus euntēm
 Matris Acidaliae socium dedit: ocyor aurâ
 Venit ut ad magni sublimia tecta Tonantis,
 Confestim pronus Iouis omnipotentis eburno
 Procumbit folio, lacrymisque ita fatur obortis.

Alme parens qui res hominumque, Deûmque supremis
 Immotus regis imperijs, & fulmine mundum
 Horrendus quatîs, ac mortalia pectora terres,
 Siccine solliciti latè plorata Hymenæi
 Vota cadunt? nostraque perit labor irritus artis?

*Annueras magnum BRESÆÆ adiungere sacro
Connubio Enguienum, & supera felicis ab atra
Fæderis augurium dederas, nunc invida nobis
Jllum fata negant, terrásque, vndásque per omnes
Quasuum nostris audent subducere tadis.*

Hos tu & quis ausus oculis, placidusque tueris?

Effusisque sinis nostras vanescere curas?

*Quin potius si fortè tibi pater optime quidquam
Dulce meum fuit, & nostra, quibus aurea luno
Exarsit, placuere faces, rata vota benignus
Effice, & Enguieni gratos mihi reddito vultus.*

Vix ea finierat, cum talia Iupiter infit.

Quid querulis nostras obtundis vocibus aures?

Quò magni Iouis ex animo fiducia cessit?

Pone metum, quæ fatidico tibi fulminis igne

Jam patuit manet immota sententia menti,

Et si Parnassi raptus de vertice noster

Borbonides, vultuque tuo, Aonidumque Sororum

Subtractus, tibi sollicitas sub pectore curas

Iniecit, mundique plagas peragrare coëgit,

Anxius absentem studio dum quaris inani,

Id fieri Francæ, cuius mihi maxima cordi

Cura subest, poscet bonos & gloria gentis.

Scilicet indomitos quos oppugnare parabat

Francus Orygiaci quassanti fulmine muros,

Numine concordi Mauors, & fata negabant

Posse capi, ENGVIE NVS si non magni agminis instar

Agmina Francorum stricto mucrone subiret,
 Aduersisque hosti insultans volitaret in aruis,
 Limitem agens, aditumque parans ad mœnia ferro.
 Sic nostro Pallas iussu, dum consulo Francis,
 Parnasso eripuit placida inter munia Phœbi
 Spirantem pugnas iuuenem, castrisque recepit
 Liligeris. O quot votis properantibus ille
 Fatifero ense ruens animas ad tartara misit!
 Quas ille inuictis strages ferus edidit armis!
 Quam validè infensoς vīctor per tela, per ignes
 Perrupit cuneos! Aderas Hymenae furentem
 Cùm medijs vellent comites reuocare periclis
 Belligero ENGVIE NI geminantes & quore nomen.
 Sed tibi quasitos posses ne cernere vultus
 Lumina velabat Pallas. Tandem alite dextro
 Austriaci cecidit vis impacata furoris,
 Sospitèque ENGVIE NO per tot discrimina Martis
 Atrebatum patuit LODOICO, & lilia magni
 Regis amans festà cinxit victoria lauro.

Nunc illum exhausto reducem tibi reddere bello
 Est animus, gelidoque hyemis sub tempore, vernam
 Quam Martis primū studijs impendit amaris,
 Dulcibus Idalia ludis recreare iuuentam.
 Sic erit, imbriferam dum versat Aquarius urnam,
 Dum genio vacat, illecebrisque licentior annus
 Indulget, latasque beant solennia gentes
 Gaudia, qua nudis olim celebrata Lupercis,

Dum blandis passim choreis, salibusque decoris
 Mista theatalis fluitanti syrmate pompa
 Latitiâ effusas arrident cuncta per urbes,
 Quod poscis dabitur fatis implere secundis.

Ne dubita, Stygia iuro vada cæca paludis,
 Blanda Sophoclae cùm carmina digna cothurno
RICHELII pleno resonabunt dicta theatro,
 Magnanimique graues in honorem Regis, Apollo
 Aonio in scenam deducet vertice Musas;
 Cùm se Dalmatici radiantes luce metalli
 Sistet in **ARMANDI** Victoria lata Penates,
 Et blandis stipata locis, Musisque canoris,
 Nympharum, & longâ Diuum comitante cateruâ
 Mirificâ referet revolutis arte choreis,
 Et pedibus varios dicet, quos inclyta bello
 Inuicti retulit **LODOIC** I dextra triumphos,
 Tunc tibi fas rutilis celebrare hac fædera tædis.

Dixerat, exsultans superâ cùm protinus arce
 In terras Hymenæus abit, quæcumque venusto
 Euolat ore nitens, viridantes omnis in herbas
 Turget humus; subeunt passim risusque, locisque,
 Et latum teneri exsiliunt per gramen Amores.
 Fortè Parisiaca dum mœnia praterit urbis
 Obuius occurrit charus præunte Mineruâ
ENGVIE NVS, cui complexu blanditus amico
 Dicta Iouis memorat, Parnassumque inde virentem
 Adlapsus, simili recreat sermone Camænas,

BRESÆAMQVE

BRESÆAMQVE suam, quam sedula cura fouebat
Vrania, gressu accurrens properante reuisit.

Iámque noui eratas Ianus reserauerat anni
Aurato sub sole fores, latásque per urbes
Bacchantis tulerat solennia gaudia Comi,
Pollicitumque micans Phæbus meliore sereno
Vexerat orbe diem; magnam subito aduolat urbem
Festus Hymen, Phæbus, Musæque sequuntur ouantes.

Illic Iustitiâ, pietate, armisque resulgens
Incubit solio magnus LODOICVS auito,
Et mirâ virtute viam sibi sternit ad astra,
Maxima spes hominum, gratissima cura Deorum,
Cali blandus amor, terra iucunda voluptas,
Grande sui seclî decus, exemplarque futuri,
Rex, uno tantum loue qui minor ardua rerum
Sustinet, & Francum nutu moderatur Olympum,
Ponderis immensi ARMANDVS dū proxima ceruix
Assidet inuigilans, acrique per omnia mentem
Sedulitate ferens curas solatur heriles.

Illic & Regni consors LODOVISIA coniux,
Tranquillo vultu, sed maiestate verendo,
Et nitidâ terras ac sydera fronte serenat,
Jucundosque suo LODOICO nobilis annos
ANNA facit, cœloque datâ felice maritum
Prole beat genitrix, & lilia sacra propagat,
Ac teneris blando officio complexibus harenſ
Sollicitos gaudet Regis lenire labores.

Tum Franci proceres, Francaque ex ordine Diua
 Liligeri Louis, & magna Iunonis ad ora
 Pectoribus proni coniuia lata frequentant,
 Excercēntque choros. Regali splendida pompā
 Par cælo, Dominōque minor domus aurea fulget
 RICHELII, & noctem funeralibus ignea vincit.

Inde maritales in mutua federa leges
 Ominibus iurant sponsi, augurijsque secundis (auro
 BRESEAM ENGVIENO radianti pronubus
 Anulus innectit, firmat connubia cælum,
 Vota Deus sacras socialia sancit ad aras,
 Quas inter magna Praesul dignissimus urbis,
 Aurea cui niueis cingit caput insula vittis,
 Stellanti demissa humeris cui murice lana
 Ardet, & intexti radijs intermicat auri,
 Calitibus summa cum religione vocatis
 Ardua solenni celebrat mysteria ritu.

Connubij sacris veteri de more peractis,
 Coniugis auratas effulgentesque Pyropo
 Dicitur in sedes populis plaudentibus uxori;
 Lutea sydereos obnubunt flammea vultus,
 Membra tegit radians auro, de stamine Serum
 Arte laborata insigni, doctaque Minerua
 Palla intexta manu, lapidum stellatus Eoo
 Lumine fulget apex, intermixtoque capillis
 Phœbaos multo radios adamante lacefit.
 Auribus, extremo quâ se curuamine flectunt,

Ingentique leues onerantur pondere census,
 Illudunt teretes Zephyri per flamina gemma.
 Æmula syderibus bacchata monilia collo
 Sparsa micant, pretiosa nitens subtemina concha
 Ambit, Erythraeisque albenti germine flamas
 Temperat, officium peragunt, fertisque reuincta
 In thalamos sponsam Charites comitantur euntem.
 Talis in aethereo roseis Aurora capillis
 Axe suum molitur iter, properatque nitentem
 Ferre diem; Talis iuga per viridantia Cynthi
 Formosis graditur comitata Diana Napeis.

Auricomus prexit ENGVIE NVS, cui mistus in ore
 Marte Cupido sedet, qualisque coruscat Olympo
 Lucifer Idalia Veneris decus; haud secus effert
 Borbonides nitidum caput, & rutilantia spargit
 Lumina, tanta suo consurgit gratia vultu.

Fronde coronata Paphia, lauroque virenti
 Ut sponsi patuere fores, it clamor ad auras,
 Vocibus & plausu laquearia picta resultant;
 Apparet Tyrio genialis murice lectus
 Nymphaeum instratus manibus, comes addita Nymphis
 Floribus Euphrosyne fertisque recentibus ornat
 Puluinos, Syrioque torum perfundit amomo.
 Multifidam puro accedit de lumine pinum
 Plus solito formosus Hymen, & vestis amictus
 Splendidiore nitens, huic mollis amaracus ambit
 Tempora, puniceisque rosis coma myrrhea fulget.

Pierides Nymphis mistæ variante reflexu,
 Composuïsque leues quatientes motibus artus
 Latificas agitant Phœbo præeunte choreas,
 Et sponsis virides per eburnea membra amaranthos
 Injiciunt, festásque ferunt ad sydera voces
 Optatam tali celebrantes carmine noctem.

Saluete ætherei proceres, lectissima Diuum
 Germina, queis noster iactat se Pindus alumnis,
 Blandus ab æthereo surgit iam Vesper Olympo,
 Anxia flagranti petet quem Gallia voto.
 Ille poli decus eximium gratissimus ignis,
 Aurea præ cunctis Cypris quem diligit astris,
 Exspectata diu placido sua lumina vultu
 Pandit, & ardenti firmat connubia tarda.

Dicite Hymen, ter Hymen ad carmina dicite Nymphæ,
 Omnis Hymen Hymenæ sonet cum plausibus æther.
 Omnia nocte silent tacita sub sydere Luna,
 Sed non ista, suis qua tot complectitur umbris
 Gaudia, nox taceat, qua luce beatior omni
 Assensu magni Iouis, & Iunone secundâ
 Sydereo cupidos nexus deuincit amantes,
 Diuinumque sacris interserit ossibus ignem,
 Illa lyrâ, vocisque sono celebretur ouanti.

Dicite Hymen, ter Hymen ad carmina dicite Nymphæ,
 Omnis Hymen Hymenæ sonet cum plausibus æther.
 Ut Phœbus viridi cinctus sacra tempora lauro
 Dilectam assiduus Daphnen fouet, illa comanti
 Semper fronde virens, & hiulci fulminis expers

Tollit inoffensos placido sub sydere ramos;
 Sic & BORBONIDES gremio complexus amico
 BRESÆ AM aeternum foueat, viridantibus annis
 Illa fruens semper vigeat, blandaque decentes
 Per Veneris lusus chari inter brachia sponsi
 Purpureo latam traducat stamine vitam.

Dicite Hymen, ter Hymen ad carmina dicite Nymphæ,
 Omnis Hymen Hymenæ sonet cum plausibus æther.

Qualis in apricis amplexans collibus ulmum
 Vitis amica suo, grauidis redimita racemis,
 Prouentu beat agricolam, mensisque ministrat
 Latitiam; BRESÆ A suo sic iuncta marito
 Augeat eternam generosa munere prolis
 Borbonidum fœcunda domum, quâ lata per omnes
 Æquoris & terræ tollat se Gallia tractus.

Dicite Hymen, ter Hymen ad carmina dicite Nymphæ,
 Omnis Hymen Hymenæ sonet cum plausibus æther.

Blanda serenati vobis clementia cœli
 Exoptatus Hymen roseâ quos compede nectit
 Sydeream nullâ obducat caligine frontem.
 Purus ab infensis nimbis, & nubibus æther,
 Fulmineoque vacet vobis innoxius igne,
 Et meliore comâ, roseoque arrideat ore,
 Ac castigato Titan ardore benignus
 Fulgeat, & nullo polus unquam fuiat astro.

Dicite Hymen, ter Hymen ad carmina dicite Nymphæ,
 Omnis Hymen Hymenæ sonet cum plausibus æther.

Egelidi vobis placida indulgentia Veris,

*Primo uo qualis mundi sub flore vigebat,
Expertes annos hyemis beet, vndique vobis
Prospera cuncta fluant, & amico pollice longum
Vestra trahant Tyrio subcemeine fila per auum,
Quæ rigida euoluunt mortalia pensa Sorores.*

Dicite Hymen, ter Hymen ad carmina dicite Nymphæ,
Omnis Hymen Hymenæ sonet cum plausibus æther.
*Sub pedibus violæ, & radianti murice pictæ
Nascantur quæcumque rosa, concordia vestris
Accubet æternum thalamis, purisque ingales
Ardor inextincto succendat lumine tadas,
Idalijs perfusa jocis, salibusque voluptas,
Incorrupta fides, castique insigne pudoris
Assideat sancto reuerenda modestia lecto.*

Dicite Hymen, ter Hymen ad carmina dicite Nymphæ,
Omnis Hymen Hymenæ sonet cum plausibus æther.

*Nulla gelu, seu quoque rigens tua lilia Princeps
Frigore carpat hyems, vernisque nitentia culmis,
Nullus anhelantes incendens Syrius agros,
Nulla feri rabies violare hac audeat Austri.
Intacti vigeant sacro de semine flores
In manibus Dux magne tuis, cœloque virentes
Assurgant, unde in terras fluxisse feruntur.*

Dicite Hymen, ter Hymen ad carmina dicite Nymphæ,
Omnis Hymen Hymenæ sonet cum plausibus æther.
*Te magnus nostri CONDÆVS gloria secli
Inclita belligeri in certamina Martis euntem,
Igneaque impavidâ iaculantem fulmina dextrâ*

Conficiat genitor, Solymisque per arma subactis
 Barbarici videat spolijs Orientis onustum,
 Séque, atauosque tuos, cœlo quos viuida virtus
 Inseruit, nati superari fortibus ausis
 Innato patriæ pietatis gaudeat œstro.

Dicite Hymen, ter Hymen ad carmina dicite Nymphæ,
 Omnis Hymen Hymenæ sonet cum plausibus æther.

Tûque decus nostrum **BRESÆ** A fauentibus Astris
 Fortuna secura nite, tibi sancta Cupido
 Gaudia non ullo turbata dolore ministret:
 Mense tibi decimo iucundæ grata Diones
 Præmia det Lucina fauens, annique cadentis
 Sub finem tellure cadens, gremioque receptus
 Lacteolus matrem faciat puer, ore decoro
 Qui Martis referat, mixtisque Cupidinis ignes.

Dicite Hymen, ter Hymen ad carmina dicite Nymphæ,
 Omnis Hymen Hymenæ sonet cum plausibus æther.

Te latâ morum florens, animique iuuentâ,
 Exultante pio genitore, **ARMANDVS** honorum
 Extollens caput, & tanti sub numine Regis,
 Cuius adorato lateri comes anxius baret,
 Molem immensam humeris, & non tractabile pondus
 Consuetâ virtute ferens, placidisque perenni
 Spemque, metumque domans invictâ robore mentis,
 Cernat inexpertam fortuna damna sinistra,
 Ætatisque situm non marcescentibus annis
 Fæcundam, & longâ florescere prole beatam,
 Vnde sibi externi magnos in grandia Reges

Sceptra legant populi, Reginarumque maritos.

Dicite Hymen, ter Hymen ad carmina dicite Nymphæ,

Omnis Hymen Hymenæ sonet cum plausibus æther.

Sed iam nox cælo præceps ruit, aurea Diuum

Progenies, paritura Deos, carissima cali

Pignora, Parnassi decora intemerata valete.

Nulla dies unquam memori vos mente reuellet,

Cumq[ue] suo ENVIENO, dum Castalis effluet vnda,

Dumque polo assurgens stabit Parnassia rupes,

Ante diem BRESÆA, die BRESÆA nitente,

Sole sub occiduo BRESÆA, ipsasque per umbras

Noctis, in Aonijs BRESÆA vocabitur antris.

Desinite ad cantus Hymenæum dicere Nymphæ,

Cesset Hymen resonare vagus cum plausibus æther.

Hac Musæ. At Cytheræa, suis qua vecta columbis,

Cincta Cupidinibus, Nymphis stipata, locisque

Venerat, implicitis sponsos complexa lacertis,

Auratum iaculum, quod acutâ cuspidè fulget

Eruit è pueri pharetra, qui blandior omnes

Sydereâ exultans formâ micat inter Amores;

Vibratumque alto amborum sub pectore figit.

Mox pulchrum niueo soluens de corpore Cestum

Jungit vtrumque sacro, stringente Cupidine, nexu.

Iupiter arridet, Juno annuit, omnia plaudunt

Numina, serpit Amor per viscera, lata per artus

Corda Deus iuuenium populans incendia iactat:

Ardent, & magnum spirantes ossibus ignem

Per medias agitant innoxia gaudia flamas.

IN EASDEM



IN EASDEM NVPTIAS,

CARMEN REGIVM.

PUlsa procul tepidi rediuiuo lumine solis
 Algentes glacialis Hyems concessit ad Arctos.
 Flatibus egelidi tellus resoluta Fauoni
 Explicat omnigenos Flora viridantis honores,
 Omnia nunc vernant, nunc aether luce serenâ
 Vestit agros, ludunt Charites, doctaque Sorores
 Blanda puellares agitant per prata choreas,
 Et mea Pierio stimulantes corda furore
 Phœbas inter frondes, Paphiasque sedentem
 Impellunt cithara fidibus celebrare canoris
 Mixta Rosis placido surgentia Lilia cœlo.

Cernitis ut latis sub amico sydere campis
 Ver largas effundat opes, varioque colore
 Pingat humum: folijs hic se flauentibus vltro
 Attollunt violæ; croceo illic tincta rubore
 Caltha sui obseruans sequitur vestigia Phœbi:
 Purpureo hic rutilant Narcissi murice picti,
 Illic blanda comæ candente ligustra renident.
 Ast omnes quotcumque micant in gramine flores,

*Quaeis Zephyrus, queis Flora nitens se iactat alumnis
 Natiuo exsuperant nullis aquanda decore
 Mixta Rosis placido surgentia Lilia cœlo.*


*Prædicet inscriptos regalia nomina flores,
 Et quibus in terris nascantur carmine quarat
 Eximij florens per secula Musa Maronis:
 Me iuuat audentem, quæ diuite Gallica profert
 Terra finu, augusto sacra Lilia dicere versu,
 Et sublime leues peragrare per aetheris auras
 Lactis iter, spatioque via quæ monstrat Olympum
 Emenso, nota repetentem climata terra,
 Iunonis spectare sacra venerabile munus,
 Quæ nobis dedit ambrosio fæcunda liquore
 Mixta Rosis placido surgentia Lilia cœlo.*

*Sed cui non placeat Tyrias per amœna locorum
 Adspectare Rosas? hoc se cum murice monstrat
 Flora triumphato dum frigore lata superbit,
 Hoc formosa suos cocco Matuta capillos
 Inficit, hunc proprio natum de sanguine florens
 Cypris amica fouet, blanda hoc componere sera
 Flore solent Charites, Paphium hoc vincire feruntur
 Aonides puerum: roseis redimita corollis
 Tempora sunt Hymenæ tibi, tu doctus amantes
 Iungere, perpetuo gaudes astringere vinclo
 Mixta Rosis placido surgentia Lilia cœlo.*

Grata Indi mixtura eboris cum muricis ostro;
 Sed iucunda magis referunt quam candida pulchris
Lilia mista Rosis: Superis arridet amicis;
Iupiter hanc sancit, faustis hanc pronuba Iuno
Ominibus firmat, Nymphae venerantur ouantes.
Fili ergo in plausus Hymenai voce resultant,
Et cœlum atque solum, nullo violentur ab astu
Tam nitidi flores, nullo soluantur ab imbre,
Ver aeternum illis; rata fac ô Rector Olympi
Vota, quibus sacris affusus prosequor aris
 Mixta Rosis placido surgentia Lilia cœlo.

EXPLANATIO ALLEGORIÆ.

Virgineo suffusa genas *BRESÆA* rubore,
Cognato Magni RICHELÆI fulgida coco,
Virtutum ambrosium latè que spirat odorem,
Quam Cytherea suam, propriam quam Gratia iactat,
Flla Rosis nostro confertur carmine Virgo.
Liligerò ENGVIENVS surgens de stipite Princeps,
CONDÆO proles non inficianda parenti,
Grande togæ, bellique decus, dum gaudet amata
*Per sacra coniugij *BRESÆÆ* vincula iunctus*
Materiam citharâ dedit exultante canendi
 Mixta Rosis placido surgentia Lilia cœlo.



CLEANDRO SVO.

VÆ discretæ corporis & animi dotes magnos viros cōmendant, & augustos faciunt, hæ omnes mirabili quodam inter se foedere sociatæ in ARMANDVM agmine conferto fluxisse gloriantur. Insignia sunt in illo omnia, nec tantis inuidet fortunna virtutibus quas reuerenter colit; nec à proprijs, quibus Heros affluit, bonis absunt externa, quæ illis immisceri gaudent. In hanc sortem concurrit vel ipsum stemma gentilitium, quod tribus constans trabibus à Maioribus relictum accepit, velut omen quoddā, & pignus ingentis fortunæ, & operosæ Francicarū rerum molis inuicto animo ferendæ. Dum in hoc stemmate defixus, Herois augustissimi, quem ve- luti radiantem Solem intueri non licet oculo irre- torto, gentilem imaginem attentiūs circumspicio, fluxit mihi dextro Apolline carmen Regium, quo tam nobile illustrissimæ gentis symbolum celebro. Vela, & signa Regia foribus priuatis suspendere leges publicæ vetant. Sed non ægrè feret, ut spero, Eminentissimi Cardinalis humanitas, deuotum sui Numinis cultorem, Parnassi vestibulo eius insignia cum religione appendere.

IN GENTILITIA INSIGNIA
EMINENTISSIMI CARDINALIS,
DVCIS DE RICHELIEV,

CARMEN REGIVM.

 RDVA Pyramidis ductas ad sydera moles
Miratur Phario Memphis circumflua Nilo,
Splendida coetilibus Babylon se mœnibus
effert,

Prædicat immanis fastigia celsa Colosse
Clara Rhodos, Triuia centum sublime columnis
Templum Ephesus cum laude refert, aquatique cælo
Caria commemorat fastus monumenta superbi:
At dilecta Deo, magnoque peracta labore,
Quam triplici decorant rutilantia lilia culmo,
Suspicitur toto populis inhabitibus orbe
Machina, tergeminis quæ surgit ad æthera Tignis.

Non hec de Pario moles se marmore tollit:
Arbor odora sacram, aternos qua seruat honores,
Materiem præbet, Diuum qua fingere vultus
Cedrus amat, ternis augustas condere sedes

Dat Trabibus, quarum una solo fundamina ponit,
 Altera tollit humo, tegit altera Solis ab æstu,
 Imbriferasque hyemes, & hiulci fulminis ictus
 Arcet; ad hac docta coëunt palatia Musæ,
 Intemerata Fides, & amœno Gratia vultus,
 Virtutesque omnes, quibus inclita gestit alumnis
 Machina, tergeminis quæ surgit ad æthera Tignis.

Sydereum obnixi stellis volventibus axem
 Sustentant humeri Atlantis, sub pondere cervix
 Nutat, & Alcidem tantæ succedere moli
 Cælifer attritis latatur viribus Heros.
 Vis ternis potior Trabibus, quas nostra canoris
 Musa modis celebrat, meliorque Atlante vetusto
 Hic nouus, in nullam cui mens resoluta quietem
 Ignea, pernigili complectitur omnia curâ,
 Quo stat firma solo, cunctisque interrita fatis
 Bacchantes rabido cum murmure despicit Euros
 Machina, tergeminis quæ surgit ad æthera Tignis.

Præpetibus trifidi ostentat se fulminis alis
 Attonitâ pater altitonans tellure verendum,
 Neptunus valido ventis freta pulsa tridenti
 Temperat, aut placidos imo ciet aquore fluctus,
 Commendat triplici se Virginis ore Diana,
 Tergeminis fulget miranda coloribus Iris,
 Lilia terna placent cœlo demissa sereno,
 Nodus & ille triplex Veneris, qui necit amantes,

Hic numerus Charitum, hoc celestia numina gaudent,
 Gaudet & hoc Superum iustissima cura Deorum
 Machina, tergeminis quæ surgit ad æthera Tignis.

Cedant Phœbe tui, cedant Neptune labores,
 Laomedontæ queis debita mœnia Troia,
 Ipsæ etiam cedant Pallas quas extulit arces:
 Omnibus hoc longè antistat, quod ab æthere summo
 Æternis opus è Trabibus mirabile fluxit;
 Sub quibus esse olim Trabeati turba Quirini
 Gaudebit, nuncque Aquilis imponere flores.
 Cuncta situ annorum, cariéque exesa fatiscunt;
 Vasta sed astriferi stabit dum machina mundi,
 Stabit, & inuidiâ frustra indignante vigebit
 Machina, tergeminis quæ surgit ad æthera Tignis.

ALLEGORIÆ EXPLANATIO.

QVA tria Gentili rutilant in imagine Tigna
 ARMANDI, dotes animi, quibus ille resulget,
 Iustitiâ, pietate, & acuta robore mentis
 Insignis, facili nobis enigmata monstrant.
 Ardua qua tantis sese virtutibus effert
 Liligeri Imperij moles, subnixaque magni
 Consilio, ingenioque Viri, caput inserit astris,
 Æolijs immota minis, licet agmine facto
 Externi, patriisque ruant in prælia venti,
 Hæc illa est nostra fidibus celebrata Camæna
 Machina, tergeminis quæ surgit ad æthera Tignis.



AD ILLVSTRISSIMVM Galliæ Cancellarium.

Debueram inter tot, & tanta virtutis, & fortunæ decora, quibus orbi iucundissimus enites, exultante calamo Amplitudinem tuam adire, Cancellarie Illusterrime, & lætis versibus eum conueniri decebat, qui Parnassi lætitia est, & Musarum amœnitas. Sed Panegyricum Opus meditantem intercepit immaturus amantissimi tui Generi MARCHIONIS COALINI obitus, qui te cum omnibus bonis incredibili dolore affecto, hilaritatis mihi verba negat. Lacrymæ quas ab ineluctabili animi constantia ingens mœror vbertim elicit, funebre epicedium & flebilem Elegiā conuenientiū expostulant. Debent hoc tibi leuamentū Musæ, Cancellarie Amplissime, quæ ab ingenij & dignitatis tuæ fascibus tot in dies accipiūt ornamenta. Tangit eas nō immerito acerbitas huius fati, & tuo mœrore perculsæ suis fletibus aquas Heliconis turbant, ac totum ferali luctu Pindum incestant. Huius in tam immiti funere affetūs plures illæ tibi notas dederunt Apolline & immortalitate

mortalitate dignas. Hanc quæ minùs tersâ oratione prodit illis adiungi æquo fer animo , Heros optime, & istas animi tibi addicti , & sensus tuos summa cum veneratione spirantis testes, ac indices lacrymas tuis immisceri sine. Has si benignior sinus exceperit è pectore effusas , illud à tuo fortassis habebunt numine, vt splendidiori sorti adscriptæ , & velut in electri speciem, non secùs ac Heliadum fletus mutatae , non indecoræ videantur.

I N

MARCHIONIS COALINI
O B I T V M,
AD ILLVSTRISSIMVM
GALLIÆ CANCELLARIVM,

E L E G I A.

MVS A sepulrali crines redimita Cupresso
Multæ gemens querulis astralaceſſe modis.
Nil tibi cum lauro, male fidi splendida Martis
Laurea mœroris tristis origo tui.
Dum circumſeffam pugnans COALINVS ad Æram
Enſe metit lauros, glandibus ictus obit.
Ille quidem egregio post fatâ decore ſuperfites

Q

Nescit ouans audi damna inimica rogi:
 Et tamen omnis in hoc Parnassus funere mœret,
 Et damnat bifidi laurea serta iugi.
S E G V E R I V S, quem Diua Themis, quem docta Sororū
 Turba suum venerans prædicat esse Ducem,
 Astrea quo se sacraria Numine iactant,
 Præside quo Pindus tollit in astra caput,
 Qui generum patrio **C O A L I N V M** ardebat amore,
 Hoc obitu placidos non sinit ire dies.
 Herois multo turbantur pectora luctu,
 Urget inextinctus mentem, animumque dolor.
 Dum venit alma dies, dum Sole cadente recedit,
 Absentem ingeminans te **C O A L I N E** vocat.
 Ingentesque tua miscens cum coniuge fletus
 Luget in afflita tristia fata domo.
 Quamque videt charo natam gaudere parente,
 Hanc dolet immitti sorte carere viro.
 Hoc casu perculta animis, qua culmina Pindi
 Celsa tenent, luctu diriguere Deæ.
 Non illis mœsto grata est chelys aurea Phœbo,
 Non quod Pieria carmen ab arte fluit.
 Plectra iacent in honora, iacent sine lege soluta,
 Et nullo ornata flore, hederâve lyra.
 Gramineo arentes marcent in cespite lauri,
 Pegaseis vitreus deficit humor aquis.
 Non sacris resonans adytis effunditur Echo,
 Nec solita Aonium ventilat aura nemus.

Desine Musarum columen vexare querelis,

Dum generum defles, sydera, téque tuis.

Desine honoratum lacrymis onerare sepulchrum,

Et querulà Manes voce ciere pios.

Ac tibi, Parnassóque tuo sinè nube serenos,

Et vacuos omni redde dolore dies.

Hoc chorus Aonidum, Themis hoc, & publica poscunt

Commoda, SEGVERIVM qua superesse iubent.

Si charus COALINVS abest, circumspice natos,

Absentem referunt ore, oculisque patrem.

Pro genero ternos præstant tibi fata nepotes,

Pro saceri donant nomine nomen aui.

Dulcis aui titulus, dulces implexa lacertis

Molliculis pueri qui tibi colla premunt.

Infantūm hic blandis ludum insultantis atrocem

Fortuna dabitur fallere posse iocis.

Blanditiae, risus, blasphemina lingua,

Quam teneris mulcent pectora auita modis!

Sed non erepio COALINO sola nepotum

Turba datur patrium nata subire locum.

Non umquam interitura viri facta inclyta restant,

Parte quibus superat nobiliore sui.

Dat fugiens magna certissima pignora fama

Per varios Martis vita peracta gradus.

Intrepidi ille vices per prælia militis egit,

Egit & inuicti munia clara Ducis.

Dum trahit Heluetias, urgētque in bella, cohortes,

Quot spolia Austriaco victor ab hoste tulit?
 Dum volitat castris Praefectus, & ense coruscat,
 Pulueream quantâ clade cruentat humum?
 Fulgurat in manibus Mauors, quâcumque per ignes,
 Et per tela ruit, fata, necemque gerit.
 Pluribus ornatus palmis ad funera venit,
 Sed qua postrema est, non minor illa fuit.
 Impetit obsecram validis dum viribus Æram,
 Rumpit & hostiles Marte furente globos;
 Et Duce MILLEREO, cuius præstantibus ausis
 Liligero accedit Belgica victa solo,
 Armatis inimica premit munimina turmis,
 Pandit & ad muros, quâ data porta, viam:
 Dumque cruenta subit pulchram per vulnera mortem,
 Æternum caso dat decus Æra viro,
 Exstruit & laudis monumentum ex ære perenni,
 Quod nequeant ullo secla abolere situ.
 His plagiis capta illa ruit, nil iuris in istum
 Est tibi per Stygios qui capis æra lacus.
 Eximit hunc cymba virtus, fœdaque paludis
 Tanarijs raptum tollit in astra vadis.
 Digna coli virtus, nullo violabilis ævo,
 Parcarum infensas fallere docta manus.
 Quæ capiti lethalis hiat, ferrique medentis
 Plaga feris passa est vulnera crebra modis,
 Dum læsus studio vertex terebratur inani,
 Purpureis rutilat texta corona rosis.

Sic dum pro patria occumbunt ab Echione nata,

Et non fæmineo pectore fata petunt,

Fulgentes illis dicunt exisse coronas,

De medijs populo sufficiente rogis.

Quam felix igitur COALINI & nobile fatum,

Cuius ab exsequijs gloria tanta venit!

Ne decora effuso generum sacer optime fletu,

Qui magnum es Themidis, Castalidumque decus.

Illum plausus, Io, Paan, cantusque triumphi,


Artificique decent structa trophya manu,

Illum ingens virtus, magnumque per ora virorum

Nomen inoffenso laudis honore beant.

Scilicet hanc propriam dicit de sanguine sortem

Quem toto ARMANDI clarat in orbe genus.



NICOPOMPO SVO.

NON diu nobis adhæsit Æra, breui ad hostes transiit desultoriâ quâdâ, & aëriâ leuitate:juuat tamen verfus, quos in eius obsidione & expugnatione nuper emisi, Syluis meis interserere. Habitat nemora & saltus Echo aëris filia, & qui leuitate præstant venti, non inani camporum spatio elusi, sed ad aërias arbores elisi in lucis consistere amant, & colludere. Sanè si

Æram Hispani tandem receperunt, magno ære redempta ad illos rediit. Longas inter obsidionis moras, populatum à Francis Belgium, Oppidanis arua viduata, ita ut manus desint agris poscentibus, plures direptæ Regionis vrbes in nostram ditionem redactæ, & qui dum ea geruntur à socijs frustra implorati milites Æræ incumbebant, vel telis confossi, vel lue, aut fame absumpti ingenti numero perierūt. Itaque non est quod de ea re sibi gratuletur vana & supra modū ventosa natio. Redhibita est illi Æra, sed magna cum clade, & sinè victoria. Hanc pronobis stare circa liliata signa volitantem probat vel ipsa Bapalma, quę inuicti LVDOVICI armis, & CARDINALIS Eminentissimi consilijs, dum Æra obsidetur, subitā irruptione capta, Belgicam huius anni expeditionem insigni palmâ decorat, cuius flices arrhas iam ab anno superiore Francis dederat Atrebatum expugnatum.



DE ÆRA OBSESSA, VATICINIVM.

ÆR A cades iustis magni sub Principis armis,
Palladiaque Viri, quo res se Gallica tollit,
Arte triumphatis prostrata iacebis Iberis.

Nec te arata grani subducent pila ruina,
 Queque sub Austriaco volitant ductore per auras
 Tela, pī manibus Regis, cui militat aether,
 Eripient; frustra nostris circumflua castris
 Incumbunt inimica equitum, peditūmque furentūm
 Agmina, quæ subito perculta pauore recedunt.

Quid struis? aut quā spē incautam te decipis Æra?
 Victa cades, instat dextrā LODOICVS ahennā,
 Consilio premit ARMANDVS, quatit ariete crebro
 MILLEREVS, stricto concussis imminet ense
 Mænibus ENGVIE NVS minitās, qui te alluit amnis,
 Nobile felici cui prabent omne nomen
 Lilia, te Francis cœlo afferit auspice sceptris.



DE ÆRA EXPVGNATA, EPINICIVM.

ÆRA cades dixi, cadis, & præsaga futuri
 Mens, tua veridico reserauit carmine fata,
 Nec vanā Clarius me lusit imagine vates.

Efferā nequicquam glomeratis Austria turmis,
 Cum tumido volitans ad te properauit Ibero,
 Obsessis conata viam sibi pandere muris,
 Concussaque nouas in pralia subdere vires.
 Nequicquam Francis bello committere Francos

*Ausa tuis excita dolis furialis Enyo,
Quò trepidā instantes auerteret arce maniplos.
Cuncta tibi rabidi frustra tentata furoris
Impete, & occulto caci molimine Martis,
Effusisque leues tandem labor omnis in auras.*

*Nil iustis LODOICI armis, cui sydera pugnant,
Indomitum; ARMANDI vigilantibus omnia curis
Consiliisque patent sub amico peruia calo.*

*Ergo victa cadis, victorique Æra pauentes,
Deplumésque in nido Aquilas, stratósque cubili
Deseris exanimis Franca sub lege Leones,
MILLEREI~~Q~~VE manu bellandi mille per artes
Expugnata, Duce repetito insignis honore
Hesdini domiti socia, Atrebatique subacti,
Et rutilam, inuicti cingat qua tempora Regis,
Qualis amat nitidum decorare Hyperionis orbem,
Puluere a effundis belli de nube Coronam;
Dum prostrata solo, & subuersis mænibus Æra
Augustum circa caput area facta coruscas.*



DE EADEM.

IMperij qua Gens annos numerabat ab Æra,
Ære grauis, belloque potens, elataque fastu,
Illa sui, arentes torret dum Sirius agros,
Excidij tempus capti numerabit ab Æra.

DE

DE BAPALMA CAPTA.

CUR Æra turmis Iber insultantibus hæres,
 Et longâ muros obsidione premis?
 Fulminat, & Belgis Francus trepidantibus instans
 Incustoditos depopulatur agros.
 Inuaditque tuas concussis mœnibus urbes,
 Dum frustra Austriacam Belgica poscis opem.
 Qui vallis cincta sinuosis imminet Æra
 Grandine ab obsessa qua pluit arce cadit.
 Et quos sanguineo sors eximit inuida ferro,
 Hos gaudet pesti iuncta necare fames.
 Hem! quid agis? quemcumque parat Fortuna regressum
 Constatit magno quod facis ære tibi.
 Si tot vulneribus, tantoque redempta cruore
 Hispani in leges Principis Æra redit.
 Victorem haud faciet per amaras redditæ clades
 Cui caput atratâ fronde Cupressus obit.
 Dat Francis belli palmam, dum tunditur Æra,
 Capta Bapalma tuâ Rex LODOICE manu.

* * * * *

EROPHILO SVO.

Q V Æ ad festos amicorum Hymenæos tem-
 peratis Talassionis verbis, & indecorâ Fes-
 cenninæ procacitatis fæce expurgato stylo

R

aliquando lusi, Syluis meis intermiscere libet. Placet
 amoribus nemorum solitudo, grata illis lucorum
 opacitas, iucundū silentium, aptus recessus. Aman-
 tium nomina arborib⁹ inciduntur, nec minūs quām
 Diana dumetis, & saltibus præest Venus, quæ spi-
 nosas in corde curas serit. Sed quam non habet cum
 syluis cognitionem Hymenæus, sinè quo Cupido
 nihil potest quod bona fama comprobet? Non ce-
 lebrantur Dei connubialis sacra nisi accensis tædis,
 quas syluæ ferunt. Frustra Virgini flammeum præ-
 tenditur, si flammæ geniales non lucent. Nequic-
 quam ambrosias sponsæ comas implexæ corollæ ru-
 tilantibus floribus emicant, si faces pronubæ non
 nitent. Sanè cùm vxores igni non minūs quām aquā
 accipientur, & iustæ fiant, non sunt iugalia mysteria
 à syluis aliena, quarum ope prodit ignis, & in auras
 erumpit. Denique si Amoris imaginē in Academia
 veteres aliquando posuerunt, cur non & nos, Ero-
 phile, in his litterarijs exercitationibus aliquem lo-
 cum dabimus Amori? illi saltem quem legitimis
 facibus accensum cœlum probat & consecrat.

DE NVPTIIS PVMISSONI SENATORIS
 Clarissimi, cum Catharina de Muro veteri.

BLandam maritalis dum PVMISSONVS Amoris
 Stricta Dionæo pollice vincla subit,

Et viduo veteris thalamo succedit amici,
Improuisa meum gaudia pectus habent.
Gaudio, quod carus reparat mea damna sodalis,
Et rupii renouat fædera coniugij.
Fallor, an hic ipse est mutato nomine, luci
Redditus, & medijs raptus ab exsequijs?
Idem animus, species eadem, par nexus amoris,
Quo mihi, quo Domina pectore iunctus erat.
Aetherij ingenij similis vigor, aequus honorum
Augusto Themidis murice clarus apex.
Nec vis doctrina dispar, qua lucida Musa
Dilectum Phœbo nomen in astra ferunt.
Quisquis es, auspicijs huc te melioribus infer,
Qua Venus, & Charitum turba venusta sedet.
Mille pharetrati Dominam comitantur Amores,
Te socium blandis iunge Cupidinibus.
Grata Deo, castis non inficianda voluptas,
Gaudiique Idalijs sint tibi plena iocis.
Suanè micans, quam nulla queant restinguere flabra,
Ardeat in gemino pronuba tæda sinu.
Nexa pudicitie firmo Concordia vinclo
Assideat placidis intemerata toris.
Ac velut Assyrio fragrantia cinnama amomo,
Cacubaque Hyblais sunt bene iuncta fauis,
Utque Arethusa suo miscetur amabilis amni,
Atque ostro nitidum consociatur ebur.
Sic & pura fides, qua vincla iugalia firmat,

*Misceat affectus pectora vestra pari.
Nec vos deficiant vario oblectamina lusu,
Quæ tenerâ sponsis arte ministrat Amor.
Quâmque arcto cupidos nexus deuinxit Amantes,
Tam fausto teneat fædere sanctus Hymen.*

DE NVPTIIS MARMIESSÆI, FISCI Patroni Clarissimi, & Lucentiæ.

NO X ubi deuexum tenebris obducit Olympum
Lucis egens, venit in sacri genialia lecti
Fædera, & omnibus *LVCENTIA* virgo secundis
Ducitur, hinc clarum *LVCENTI* nomen amica
Fata dedere tibi: Nox scilicet illa iugalis,
Cui ridens Erycina præst, & pronuba Juno,
Quâmque suis pulsâ illustrat caligine tædis
Cælo lapsus Hymen, nitidi manifesta diei
Sydereæ occuliis Cythereæ gaudia vincit
Lusibus, & melius Phœbæo lumine fulget.

DE IISDEM NVPTIIS.

Dotibus ingenij, & doctrina luce coruscans
Fascibus egregij clarus honoris eras.
Et patris exemplo, facundo cuius ab ore

Vibrantur pleno fulmina densa foro,
 Dum fisci caussas agitas mirante Senatus,
 Lumine fulgebas splendidus eloquij.
 Sed tibi dum radas prefert Hymenaus ouantes,
 Pralucetque suis blandus Amor facibus,
 Illustri clarus Dominâ, cui stemmate longo
 Splendida patria fulget origo domus,
 Qua morum eximio micat, exsuperatque nitore
 Naturæ excultum candidoris opus,
 Et quas Fortuna LVCENTIA dote beata
 Sponsa tulit largo munere clarus opum,
 Vndique colluces. Quis te cum lumine tanto
 LVCENTI merito nomen habere neget?

DE NVPTIIS GARIBALDI SENATORIS
 Clarissimi, cum Berteria.

Colle sub Aonio primis GARIBALDV^S ab annis
 Bellerophontais ora rigabat aquis.
 Tendebatque auidus sacrum exhaustire liquorem,
 Quem magis aethereo nectare Phœbus amat.
 Vedit Hymen, fontique timens, accendere radas
 Tempus, ait, Cypri quas mibi Diua dedit.
 BERTERIÆ QVE oculis mersas ardescere sensit,
 Et subito rutilas igne micare faces.
 Has quatit, & blanda compellans voce bibentem,

*Parce Aganippaos attenuare lacus.
 Sat tibi cum vitreis docta Permessidos undis
 Dixit, & in flamas, quas modò cernis, abi.
 Uritur, & totum populant incendia pectus,
 Quod mulcebat aquis fons sacer ante suis.
 Sed non hac teneræ blandis accensa puella
 Luminibus Paphij noxia flamma Dei.
 Vuit amans medios inter latissimus ignes,
 Cui mellita fauens gaudia fundit Hymen.*



OLIVÆ FILIO.

VT pietatis, & doctrinæ famâ præcipuus sis, hoc vnum, Oliua fili, in votis est mihi præcipuum. Alij liberis suis latifundia, congestas opes, & ambitiosos honorum titulos optabunt. Mihi hæc omnia præ virtutis, & litterarum decore vilescent. Habes inter Maiores tuos exempla clarissima, quæ te ad illa animi bona, quæ sola vera sunt, consequenda efficaciùs impellat. Ego, cuius in te stat omnis cura, & vota cuncta conquiescunt, imprimis contendo, vt hanc optimam hereditatem cernas, & vt mihi, ac tibi ipsi, & seculo tuo morum & ingenij laude inextinctâ superstes existas. Hanc immortalitatem dabit integritas vitæ,

sceleris expers, & Deo grata; hanc expetendam post fata sortem præstabunt Musarum studia, quæ homines ab exsequijs vindicant, & æternitati asserunt. Perge, fili iucundissime, perge, vt cœpisti hanc vitæ rationem sedulus amplecti, mores excole sapientiæ præceptis, sint tibi assidue præ manibus receptionum Autorum libri, qui animum omni disciplinarum genere imbuant,

— Nec desinat unquam

Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.

In vtraque oratione politum & accuratum effinge stylum, qui posteris aliquid tradat quod te vixisse testetur. Quotidianæ Autorum lectioni, scriptionis alternam operam adhibe, & ex Gallico in Latinum, & vicissim aliquid verte. Quo genere exercitationis, vt ait Plinius, proprietas, splendórumque verborum, copia figurarum, vis explicandi, præterea imitatione optimorum similia inueniendi facultas paratur. Hoc iter ipse tenui, viros magni nominis sequutus. In iuriâ temporis interciderunt Opuscula, quæ iuveniles anni vestigijs alienis insistentes protulerant. Aliqua eiusdem generis, quæ prouectior ætas ex occasione dedit, ad te mitto, quibus & alia quædam, vt se obtulerunt, adiungo. Vale, fili carissime, & quæ ad eruditionis, ac facundiæ laudem patri desunt, quæ sanè multa sunt, & propè infinita, vigilijs, & lucubrationibus tuis aliquando supple, tēque in hac parte, sicut & in cæteris, pium exhibe.

ELEGIE
DU SIEVR DE LINGENDES,
POVR OVIDE.

MISE AV DEVANT DE SES METAMORPHOSES,
traduites par le Sieur de Renoüard.

OVIDE c'est à tort que tu veux mettre Auguste
Au rang des immortels.
Ton exil nous apprend qu'il estoit trop iniuste
Pour auoir des Autels. &c.

PARAPHRASIS LATINA.

NASO quid Augustum non iusto carmine tentas
Intersydereos annumerare Deos?
Quos illi Diuum sacros adscribis honores
Pœna tui exsiliij non meruisse docet.
Nam te dum Scythicis iniurius alligat oris,
Hoc facto verbis dissidet ipse tuis.
Scilicet ut nimia sonem te crimine laudis
Multarent, Superis hoc placuisse reor.
Ille equidem Musis infensus abenea gessit
Pectora, & Hircanis asperiora feris,
Qui tantum patria, quo se super astra ferebat,
Ingenij potuit subripuisse decus.
Tota suo quamuis staret sub Casare tellus,

Et famulis

Et famulis flueret subdita Tethys aquis,
 Debuit ille tua, vates divine, Thalia
 Nil sibi par toto credere in orbe datum.
 Sed nec eum ingentis flexit vag a gloria fama,
 Quâ tua ad Aurora littora vecta chelys:
 Blanda nec emotam sedarunt carmina mentem,
 Carmina Phœbæis equiparanda modis.
 Non exorato perstans adamante Tyrannus
 Difficili nullas audiit aure preces.
 O quantum perculta tuis Erycina querelis
 Indoluit, roseas imbre rigante genas!
 Et quantum nati celebrem miserata magistrum
 Sauitiam iniusti Principis increpuit.
 Aonias passis te discedente capillis,
 Funereisque ferunt vestibus ifse Deas.
 Inque tuo elatum lugentes funere Phœbum
 Questibus incomptas sollicitasse lyras.
 Ipse pater glaucum abiiciens Tyberinus amictum
 In luctum effuso flumine soluit aquas.
 Gramineaque sedens frondosa in margine ripæ,
 Plurima quâ tremulum vibrat arundo caput,
 Æthera per liquidum studio iactauit inani
 Se nunquam tantis ingemuisse malis.
 Et turbata minus civili pectora clade,
 Thessalica Eumenides cum tonuere tubâ,
 Cognatasque ruens acies meliore Quiritum
 Mars ferus Æmathios sanguine sparsit agros.

Affuetæ, nitido dum Cynthia lumine fulget,

Naiades ad latos se sociare choros,

Et versus recitare tuos, tua fata secuta

Tybridis arentes deseruere lacus.

Has reor ut profugâ pontus te naue recepit

Linquentem patrij rura beata soli,

Ad latus incurua fusas vidisse carinae

Sulcantes patulâ carula regna manu.

Sed tibi non illas soli aspexisse natantes

Contigit, indomitis sors fuit aqua Getis.

Attonitis basere animis, Diuâque per aquor

Tam longa comites obstupuere via.

Talia dum gelido spectat gens nata sub axe,

Cui speciosa hominis nil nisi forma subest.

Credidit expulsos hominésque, Deósque Latinis

Finibùs, aquoreâ vertere terga fugâ.

Pectora mortales miserefcere nescia casus

Affectus leges tunc didicere nouas.

Et pium amicitia, exemplo monstrante Dearum,

Felici egerunt sorte tyrocinium.

Efferâ, E in duris miserorum arentia fatis

Humanâ pasci lumina sueta nece,

Excita in ignotos truculentis gentibus usus

Fletibus undanti tunc maduere sinu.

Quin etiam Scythicas tua perspiria cautes

Mirus inauditâ molliit arte dolor.

Visâque sub rigido glacialis frigore cœli

Stricta gelu lacrymis saxa liquata tuis.
Sed mites hominum scopulos dum sumere mores
Vidit in immitti Sarmatis ora solo,
Rupis Hyperborea saeo Saturnia tellus
Vidit in Augusto robur inesse triplex.
Nec te illud latuit, pauidasque per exsulis aures
Crebrescens Latij se tulit ira Ducis.
Ecquid ad hæc animi tam dira exempla ferocis
Laudibus immeritum nos celebrare iubes?
Et mitem appellare Deum, votisque vocato
Non secus ac magno ponere templa Ioui?
Quin illi potius sacras deicis aras,
Assyriique vetas thuris honore frisi.
Et Diuum nitidis prohibens accumbere mensis
Pocula nectareo plena liquore negas.
Abiice spem, quam vita tibi sine labe peracta
Et factis adhibet nobilitata pijs.
Nulla tibi in duro fiducia Casare subsit,
Sollicita priscos exue mente lares.
Fata vetant redditum, neque enim hoc dignantur honore
Dij superi patriam, quam male poscis, humum.
Hac Iouis igne magis, quam vultu digna poëta,
Cui male grata suos ausa negare sinus.
Infelix tellus! infelix ipse Cupido!
Fecit in hac causâ quem quoque fama reum.
Hinc illum Geticos perhibent penetrasse recessus,
Omnis ut ex vero res tibi nota foret.

O quantum populis patuit mutatus ab illo,
Delicias mundi quem dedit esse Venus.
Non illi facies, qualem melioribus annis
Mirata est Orbis nobile Roma caput.
Cum puero vibrare leues in corda sagittas,
Monstrarésque nouā Cypridis arte iocos.
Non illi pharetra, non tela, arcusque, nec vlla
Purpureā solita luce micare faces.
Felix, si ninei seruasset linteā veli,
Quo madidas multo tergeret imbre genas.
Talis erat quondam, Paphia dum venit ab arce
Pulnere fœdatis, squallidus ora comis,
Matri ut in luctu, extinctum qua flebat Adonim,
Tunderet infensa pectora mœsta manu.
Qui, tibi quā visus specie, potuisset Amorem
Immotus siccis cernere luminibus,
Nil ille illacrymans posset placidusque tueri
Patris in arsuro corpus inane rogo.
Sed tanti facies illi non sola doloris.
Funereis inerat picta finē arte modis:
Acris imago metus pallenti barebat in ore,
Qui solitum vocis præpediebat iter.
Nempe tua dictus pœne exitiabilis auctor,
Quā patrijs exsul iussus abesse focus,
Multæ gemens vultus exhorrescebat amatos,
Frati veritus triste supercilium.
Cunctanti occurris placidus, properasque pauentis

Corde, serenata pellere fronte metum.

Attonita sic prisca redit fiducia menti,

Et voci in tales est via facta sonos.

Blande Magister, ait, penitis defixe medullis,

Lux mea, & ipsius dulcis Amoris amor,

Cernere dum caros longo post tempore vultus,

Ex quo raptus abes, sorte fauente datur,

Discere ab affectu, qui non incognitus exstat,

Quanta meo insideant gaudia corde potes.

Nec tanta, in duris indigna obliuia rebus,

Ingratissque animus caussa fuere mora.

Desertos Scythia venio quod serus in agros

Hoc facit ingenti mistus amore metus.

Infensum extimuit nullius conscientia culpa

Mens mea, & hac sauis addita pena malis.

Te mihi quippe tuos marentem adscribere casus

Testis ab extremo rettulit orbe polus.

Durus qui miseris non aqua leuamina curis,

Inque tuo iniustum vulnere queris opem;

Incusasque meas artes nil tale merentes,

Cesaris ut valeas attenuare scelus.

Si tamen ulla tuum minuit vindicta dolorem,

Crimina quanta velis ferre aliena iuuat.

Sed quid ab immerito penam impacate reposcas?

Quem non una graui pondere pena premit.

Cerne Dei informes deiecto lumine vultus,

Iudicioque tuo vel satis vultus eris.

Occubuit decus omne meum, nec iam mihi constat

An sin qui fueram tam bene notus Amor.

*Exsilio post fatu*tui* pretiosa decoris*

Instrumenta animo displicuere meo.

Dum faciem specto, visumque per omnia duco,

Nulla mei mentem vel leuis umbra subit.

Perdita sunt quacumque Venus, Superique benigna

Tisque mihi dederas munera larga manu.

Seruata tantum gemine, quas respicis, alae,

Quaeis Geticas possem vectus adire plagas.

Nec tamen ut lacrymis moueam tua pectora fusis

Fimbrie fatiscentes crede madere genas.

Sponte cadunt, non quo mage cultus in astra revertar

Quae decora amisi fletibus hisce peto.

Nectus ut ars, qua quondam habui, metuenda ministret

Tela, frequens oculis labitur unda meis.

Dentur ut in luctu fracta solatia menti

Huc me remigio præpete penna tulit.

Hac quoque, ne Latium tibi dira cupido videndi

Exagitet mentem, stat mihi caussa via.

Thuricremas Superum nequicquam fusis ad aras

Pro reditu supplex vota, precésque facis.

Impia Roma suis dum te regionibus arcet

Prouocat iratos in sua damna Deos.

Inde tibi Euphratis potius, Gangisque fluenta

Quam patrium Tyberim cernere fata darent.

Absiste in vanas animum discindere curas,

Affectusque tui vim ratione doma.
Cede Deum studijs, terramque oblitus autam
Francica, quæ monstrant Numina, regnâ subi.
Musarum hic florent, tenerique Cupidinis artes,
Ingenisque viget non sine laude solum.
Omnis ad has blando positas sub sydere terras
Hesperie, Phœbo iudice, sordet humus.
Nullus in hoc tractu leges non callet amandi,
Molliculis docuit quas tua Musa metris.
Hic tanto mihi sacra calent altaria thure,
Tot mihi suspendunt anxia vota viri,
Imperiique mei deuoto pectore gaudent
Vincula sub Veneris molle subire iugum;
Vt quæ floruerant insigni Amathusia cultu
Neglectis iaceant templa in honora tholis.
Dein formâ egregiâ, vultuque nitente puellæ
Natura hic superant candidioris opus,
Quas cupido terris spatiens ubi lumine vidi,
Displacet astriferi nobilis aula poli.
Has inter cœlestè tuum LOTHARINGIA sydus
Eoo radians lumine suauè micat.
Virgo, quam vitrei nascentem in margine Clani
Excepit roseo Gallia lata sinu.
Vt que nouam positis aris venerata Dionen
Thura pia ad cunas festaque ferta tulit.
Illam ubi, quæ dicunt, dabitur spectare RENATAM,
Sospite quâ virtus prisca renata viget,

*If pse parem dices formæ morumque nitore
Urbem Dardanij non habuisse Ducis.*

*Talis erat Daphne dum carmine pulchrior exit,
Méque suis oculis, arte tuaque capit,
Et mundi lumen diuinum Hyperiona cogit
Virginis intentum lumina cara sequi.*

*Hinc mihi, cum blandos Diuæ stellantis ocellos
Contueor, caco pectus ab igne calet.*

*Consumor, sed flamma placet, nec iam mihi veli
Vsus, ut hanc videam quæ mihi visa nocet.*

*Illa est, quam blandi diffundere virus amoris
Sequana per ripæ gramina picta videt.*

*Accurrunt audi, properantque haurire venenum,
Quo ratio captæ mentis ab arce cadit.*

*At numeris tantum illa tuis vulgata per orbem
Laudari, ut par est, candida forma potest.*

*Ergo Romulidas, queis te male plangis ademptum,
Desere, & in Francos te celer infer agros.*

*Heroina tua fama stimulata Camæna
Cantantem ad cithara plectra videre cupit.*

*Clara tibi placidas ostendit Gallia sedes,
Et portum ærumnis; Eia age rumpe moras,*

*Ocyus & veniens patrio sermone rejecto
Disce sacer vates Francica verba loqui.*

*Secessum interea spondet Renoardus amicum,
Otiaque in blandis ingeniosa locis,
Mellifluoque tua, cœli quæ sydera mulces,*

Ore parat populis pandere sensa lyra.
Hic ille est, cuius facundo è pectore manat
 Ilita Cecropijs Gallica Suada fauis.
Qui dulci teneros gremio excepturus Amores
 Si te non primum Musa tulisset, erat.
Hoc duce quid timeas? quo doctus Apollo superbit,
 Quo viget Aonij turba nouena chori,
Fluminaque eloquij Francis Helicone relicto
 Ad vada Sequanica fundere gaudet aqua.
Sic effatus Amor, cui te data numine dextro
 Fata sequuturum blandus, ouansque refers.
Et comis socium populi, ciuemque futurum
 Natalis posito ruris amore voves.
Ergo ades, & Salica propera succedere terræ,
 Qua tibi liligeras tendit amica manus.
Pollicitique memor Diua ne gaudia differ,
 Quam tot ad astra tibi laudibus egit Amor.
Accede aethereos formæ visurus honores,
 Quos Charis esse suos, & Venus ipsa velit.
Accede ut meritam laudes, meque insuper ipsum
 Edoceas paribus concelebrare modis.

SVR LES ARMES DE MONSEIGNEVR
le Cardinal Duc de Richelieu,

SONNET DE N.

GRAND DVC, dont la splendeur fait mon
Aueuglement,
Souffrés, si le respect tient ma bouche fermée,
Qu'au moins i'eleue vn temple à vostre renommee,
Et que ce trait hardi marque mon sentiment.

C'est là que dans l'airain, & sur le diamant
La Flandre deuant vous paroistra desarmée,
La Rochelle à genoux, ses desseins en fumée,
Et la Rebellion dedans le monument.

Là pour faire briller tant de diuins ouurages,
Les Lys y paroitront à l'abri des orages,
Le Tesin y verra perir mille escadrons,
Milan s'y montrera dessus vn precipice,
Et par vn art subtil on verra trois Chevrons
Soustenir tout le fais de ce grand edifice.

PARAPHRASIS LATINA.

Maxime Dux, fulgore tuo qui lumina mentis
Perstringis, cuius sacro qua surgit ab ore
Maiestas mihi verba negat, da quo precant
Hoc unum, ut tantæ, quæ te immortalibus aquat,

*Virtuti augustum liceat mihi ponere Templum,
Deuotamque tibi hoc monumento prodere mentem.*

*Hic adamantis tabulis, atque are perenni
Depositâ feritate, tibi se ostendet inermis
Belgica, & ante tuos demissô lumine vultus
Consilij elusa suis Rupella iacebit;
Ac fera ciuili dudum bacchata tumultu
Per Francos, saxo tumulata premetur Erinnys.
Hic magno tantorum operum immortale labori
Allatura decus, rutilantibus aurea culmis
Lilia ab insanis assurgent tuta procellis.
Ticinus patrios fluitanti expressus in are
Spectabit multo spumantes sanguine fluctus.*

*Qua super Insubria celebres caput exerit urbes
Præcipiti in scopulo iam iam casura residet.
Hac inter, quod nulla unquam vis protulit artis,
Tergemina arato cernentur robore Tigna
Ferre stupente polo tam vasta pondera molis.*

SVR LA PRISE D'ARRAS,

SONNET DE N.

ARRAS est reconquis, ô Dieu le peut on croire!
Mes yeux ont beau le voir râgé sous nostre loy,
Le tiens mes yeux suspects, & doutant de leur foy
Pour vne illusion ie prens nostre victoire.

Mais toy, fier Espagnol , aux despens de ta gloire,
 Aux despens de ton sang tu crois trop que mon Roy
 Forçant tes bouleuarts, & triomphant de toy
 A de ce grand succès enrichi son histoire.

Détrompe ton esprit , bannis ces songes vains,
 Qui te font mediter l'Empire des humains ,
 Et souffre que la Paix refleurisse en la terre :

Voy ce que t'a produit cette faim de regner ,
 Et crains, si ton orgueil s'obstine dans la guerre ,
 Que tu ne perdes tout, en pensant tout gaigner .

PARAPHRASIS LATINA.

A Vrea Francorum sub Lilia, Marte secundo ,
 Atrebatum redijt : potis est hoc credere quisquam !
 Frustra illud proprijs nostra sub lege receptum
 Cerno oculis, vereor ne mea lumina fallant.
 Et quæligeris volitat Victoria signis
 Artesia domitrix , falsa inter somnia vanam
 Ut speciem, illusæ reor hanc obrepere menti.

At tibi, qui multo fœdasti sanguine terram ,
 Dum priscum recipit gens Artesiana decorem ,
 Ambitione tumens , animisque Hispanæ superbis ,
 Cuius in hac periit quæcumque est gloria clade ,
 Quàm nimium manifesta fides tua mœnia Regem
 Perrupisse meum , & tumida de gente triumphum
 Inseruisse suis aeterna in secula fastis .
 Eia igitur vanam, si qua est mens, exue mentem ,

*Et votis impone modum, quid somnia fingis
 Grata tibi? quid atrocem animum spe pascis inani?
 Desine velle unum toti te imponere mundo
 Rectorem, positisque armis, quibus astra laceſis,
 Iam sine pacatis redeat pax aurea terris,
 Otia Musarum Phœbo exultante reducens.*

*Aſpice regnandi tibi quid tam dira cupido
 Attulerit, quantique fames tibi conſtet habendi,
 Et metue, imperij rabido ſi percitus cœſtro,
 Et ſolito poſthac elatus pectora fastu
 Sanguineo perſtas orbem diſcerpere bello,
 Omníbus exſpoliet ne te Rhamnusia vindex,
 Appetis insano dum feruidus omnia niſu.*

A MONSEIGNEVR LE DAVPHIN,
 Sur la naiffance de Monſeigneur le Duc d'Anjou,

SONNET DE N.

TAndis que mon grand Roy qui sur les Roys
 du monde
 Est ce que Iupiter eſt sur les autres Dieux ,
 Tonne de toutes parts ſur les ambitieux ,
 Qui pour rauir ſon ſceptre arment la terre & l'onde.

Tandis que ſa valeur en viétoires feconde
 Par des coups inouys les terraffe en tous lieux,
 Et que ſon bras luy trace vn chemin glorieux,

Pour remettre l'Europe en vne paix profonde.

Dans le feu de sa foudre , & parmy ses éclats
DAVPHIN prens ta croissance , & comme vn
autre Atlas

De l'Olympe François soustien les vastes poles.

Tu ne peux plus sous luy succomber desormais,
Vn autre Hercule est nay, dont les fortes espaules
T'ayderont à porter la grandeur de ce faix.

PARAPHRASIS LATINA.

Inclita dum nostri LODOICVS gloria secli,
Qui tantum Reges Rex maximus anteit omnes ,
Numinibus quantum reliquis se Iupiter effert ,
Igne a victrici iaculatur fulmina dextrâ ,
Vesanâque tonans quatit ambitione tumentes ,
Efferat qui totum stimulant in pralia mundum ,
Et coniuratas Erebo praeunte cohortes
Francorum exitio sceleratis ausibus armant .

Dumque sua innumeris dextra insignita trophyis
Quâ Tellus, geminôque vagus patet aequore Nereus ,
Non antè audito mirabilis impete Martis ,
Prostratos conculcat humo, infringitque superbos ,
Atque Europæ per tela inimica decorum
Sternit iter paci, properatque reducere ferro
Aurea pacatis Saturni secula terris.
O qui tam miris lauro cunabula cernis

*Sparsa modis, DELPHINE, Deum iustissima cura,
 Eia age sydereos patrij per fulminis ignes
 Cresce puer, validis properè venientibus annis;
 Liligerique nouus velut Atlas pondus Olympi
 Ferto libens, non est tantam quod maxime Princeps
 Regali addubites ceruici imponere molem;
 Qui leuius tibi reddat onus iam prodij alter
 Alcides, supera Francis demissus ab arce.*

SVR LA MALADIE DE MONSEIGNEVR

le Duc de Longueuille,

A Mademoiselle de Longueuille,

SONNET DE N.

CE Lion dont la France espouuantoit le Tage,
 Et de qui le Danube esprouuoit la rigueur,
 Attaqué par la fievre, & reduit en langueur
 Semble prest de tōber sous le mal qui l'outrage.
 Magnanime Princesse, ornement de nostre âge,
 L'horreur de son danger estonne vostre cœur,
 Esbranle vostre esprit, abat vostre vigueur,
 Et du iour pour vn temps vous desrobe l'vsage.
 Mais calmés ce grād trouble, & n'apprehendés pas
 Que cet embrasement le conduise au trespas,
 Au Lyon genereux la fievre est naturelle,

Il luy doit ce courage, à qui tout est soufmis,
 Il tient d'elle sa force, il vit mesme par elle
 Et son feu n'est mortel que pour ses ennemis.

PARAPHRASIS LATINA.

QVI totum terrore Tagum Leo feruidus irâ
 Implebat, quem Danubius trepidantibus vndis
 Nomine pro Franco in pugnas horrebat euntem;
 Ille modò ardenti depastus viscera febre
 Languet, & ad terram pronus iam, iamque videtur
 Atrociis ruere immanni sub pondere morbi.

Magnanima Heroina, tui non ultima secli
 Gloria, te subitus tanti discriminis horror
 Attonitam terret, curisque tenacibus agram
 Nocte, dieque premit tristi sub imagine mentem,
 Corpore decedit vigor omnis, luridus ora
 Pallor obit, gratus nec iam tibi luminis usus
 Dum tenebras metuis caro impendere parenti.

Sed depone pios, Virgo generosa, timores
 Numquam illo inuictus genitor tabescet ab igne.
 Quæ metuenda alijs febris foret, illa Leoni
 Natura pars una sua, huic, quibus omnia vincit,
 Ingentes animos, & ineluctabile robur
 Debet, ab hac vitam, & magna decora ardua laudis
 Ipse trahit, solisque hic lethifer hostibus ardor.

SVR LE PASSAGE DV RHIN DE
Monseigneur le Duc de Longueuille,

SONNET DE N.

LA fiere Aigle Romaine eschapée au tonnerre
Lancé du froid seiour des bruyans Aquilons,
Deschargeoit la fureur sur ses propres Aiglons,
Et dans leur propre sein ensanglantoit sa serre.
Quand le Lyon François errant de terre en terre
Fut frappé de leurs cris lamentables & longs,
Et des Alpes soudain repassant les vallons
Pour eux à l'inhumaine alla porter la guerre.
Le Rhin vaste & profond s'opposoit à son cours,
Il le trauerse à nage, & monstrant le secours
De loin mesme aux Aiglōs rend l'espoir, & la vie.
La forest noire tremble au seul bruit de ses pas,
Le Danube se glace, & l'Aigle poursuiuie
Desespere en fuyant d'euster le trespas.

PARAPHRASIS LATINA.

ARctoī de parte poli quā tota nivali
Terra Aquilone riget, vibrati fulminis ictus
Vix Aquila illa ferox Romanis cincta maniplis
Gaudebat casus tandem euasisse per omnes,
In pullos cūm dira suos sauire, sinūmque

*Tendit inops animi proprium laniare cruentis
 Unguis, & patrias geminare in funera clades.*
*Questibus, & gemitu miserorum excitus amaro
 Gallicus extemplò dignas Leo concipit iras ,
 Et sua per notas relegens vestigia valles,
 Queis rigidæ incumbunt Alpes, in prælia iusto
 Marte ruit, tantosque parat cohibere furores ,
 Queis sua sua parens discerpere viscera certat.*
*Obice fluctuago aduersum se monstrat eunti
 Rhenus, eum superat Leo per vada caca natatu ,
 Et procul auxilium miseris ostentat amicum ,
 Spemque dat, & vitam improviso munere reddit.*
*Sub pedibus tremit omne solum, Dryadesque comantes
 Hercynij nemoris cum cuso vertice nutant.
 Danubius trepidos indurat gurgite fluctus
 In glaciem, tremulumque imo caput abdit in alueo.
 Ipsaque, cui proprius fugienti feruidus instat
 Ore fremens , quatiensque iubas Leo, territa tanto
 Hoste Aquila, horrifica sub cuius imagine pallet ,
 Desperat se posse fugâ subducere morti.*

EX GALLICO N.

Atra meos, ARMANDE, oculos circumcidet
 umbra,
Frigidus effæto corpore sanguis hebet.
*Iamque suprema dies instat , per lurida fusos
 Littora Cocytii qua mihi monstret auos.*

Illic FRANCISCO, vatum quem turba sacrorum
 Stipat ouans, vates Francicus ibo comes.
 Ille rudi natus studijs torpentibus aeo,
 Quem sensit blandum Calliopea patrem.
 Ut me conspiciet, quid agas, ARMANDE, rogabit,
 Quò vaga liligerum nomen in astra feras.
 Tunc auido tua commemorans ex ordine facta,
 Concidit Austriaca queis decus omne domus.
 Talibus exsoluam mœrorem pectore dictis,
 Quem fera Ticina cladis imago parit.
 O quantum antiquo victricia ab hoste trophæa
 Raptæ ministerio gestiet esse tuo!
 Gaudebitque umbrâ non errabundus inultâ
 Nota triumphalem per loca ferre gradum!
 Tristis honoratâ FRANCISCI fronte Cupressus
 Decussis folijs ad mea verba cadet.
 Assurgetque virens in regia tempora laurus,
 Et dabitur capiti verna corona meo.
 Suspiciétque nouum per opaca vireta poëtam
 Pallida narrantis pendula ab ore cohors.
 Orcum alij fugiant, mihi dum sors ista paratur,
 Longa mora est Stygios qua negat ire lacus.

OLIVÆ FILIO.

Nate meum lumen, mea spes, mea cura, meum cor,
 Nate meum columen, deliciūmque meum.
 Vita mea, atque ipsâ quam duco sub aethere vita

Quóque fruor cœli lumine care magis.
 Pauca hac, sed penito manantia pectore verba
 Sume libens, patrius quæ mihi dictat amor.
 Dum nostris oculis ereptus rure relicto
 Musarum studijs totus in urbe vacas.
 Dum Latios captas veterum per scripta lepores,
 Cecropios auido dum legis ore fauos:
 Sectantem lepores per auita deuia sylue
 Me tenet in noto Villula blanda solo.
 Sed quām, nate, magis quæ nocte, diéque recursat
 Cura tui medios me tenet inter agros.
 Vnde memor nostri, & placide crescentibus annis
 Fac simul ut crescant gaudia iusta patris.
 Virtute, obsequio, doctrinâ, moribus, aeo
 Adiice, namque potes, stamina longa meo.
 Progressuque tuo venientis damna senectæ,
 Quæ me circumstant esse minora iube.

AD EVNDEM.

CUltorem Sophiae florentis cultor agelli
 Quām blandâ potis est voce valere iubet.
 Idem qui natum dominâ pater urbe morantem
 Saluere athereâ pronus ab arce petit.
 Quām mallet sobolem genitor spectare loquentem,
 Mutuâque alternis reddere verba sonis.
 Hoc etiam ratio naturæ congrua mallet,
 In patro pueros quæ iubet esse sinu.

Attamen hoc, quis non stupeat? Sophia impedit ipsa,
Mortales uti qua ratione docet.

E I D E M.

Quem cordicitus, medullitusque
Meis plus oculis, meaque vitâ
Totum plus amo, moribus venustis,
Blandisque officijs amande Oliua.
Ætatis mora grata defluentis,
Elusor pie marcida senecta,
Præsens sollicitis medela curis,
Et patris simul, & domus labantis
Spes una, & columnen tenelle fili.

O qui flosculus es virentis horti,
Quem Phœbus pater, & nouem Sorores
Amant Castalijs rigare lymphis.

O qui flosculus es sacri Lycae,
Quod pacis Dea, & artium magistra
Cœlestis sophia fauens Minerua
Æternis studijs fouere gaudet.

Sat pallentibus, anxiisque chartis
Septus mænibus urbis insalubris
Noctes, & solidos dies dedisti.
Jam sat fulmine syllogismus acri
Vibratus tibi, iam satis per omnes
Solertis Logica locos acuta
Vim mentis studio graui intulisti.

Tandem Menilos reuise campos,
Et notos pete Villula recessus.
Tandem me mibi redde, & inter almi
Ruris suauiculas amoenitates
Inuisos miserè dies trahentem
Aspectu recrea patrem expedito.

DE ELECTIONE, ET INSTITVTIONE Octouirum.

Palladiæ legit Octouiros **CATHARINA** Tolosa,
Et nodi adstringit religione sacri.
LCIA purpureo lucentes vestit amictu,
Et Capitolino collocat in solio.
Sic hos una facit, sic perficit altera **Virgo**,
Sic hos virgineis moribus esse decet.

IN MAYNARDI MVSÆVM.

HIC sibi, posthabito Parnassi vertice, sedem
Fixit ouans doctis comitatus Apollo Camœnis,
MAINARDI arguto pulsandam pectine fessus
Hic posuit citharam, sacrâsque virescere lauros
Iussit, honorati canos qua vatis obumbrent,
Et viridem præstent cygnæa sorte senectam.

VLMARII MENILII INSCRIPTIO.

A Vricomum Stella quæ sylua rotatur in orbem
 Plurima dum viridem circinat ulmus humum.
 Hac tibi, Virgo parens, superas sacra surgit in auras,
 Qua rutila Eoo lumine stella nites.
 Orbis stella decus, qua sufficientibus Astris
 Solem ipsum gaudes stella dedisse solo.

MENILII FONTIS INSCRIPTIO.

CONDÆO sacer iste locus, cui fonte perenni
 Fundit inexhaustas candida Naiis aquas.
 Vi nullo hac rabidi canis exarescit ab astu,
 Lataque inoffenso labitur vnda pede:
 Sic placido magni decurrens tramite vita
 Principis omnigenis affluat usque bonis.

ALTERIUS FONTIS INSCRIPTIO.

QVI fons ingenij, doctrinaque exit in auras
 Purior electro, splendidiorque vitro,
 Cui Phœbo, & doctâ non auersante cateruâ
 Pegasei cedit limpidus humor equi,
 Has sibi deuoto sensim de fonte cadentes
 CONDÆVS placido numine seruet aquas.

DE PISCIBVS IN MENILIO
Stagno colludentibus.

IActa salebroſi veniunt ad pabula pisces,
Squammosa in prædam plurima turbantur.
It properè liquidum campis stagnantibus agmen,
Ludit ē in summo, quā patet esca, lacu.
Proiectūmque secans in frusta minutula panem
Non bruti gaudet viuere more gregis.
Dulce cibo instantes certatim cernere pisces,
At pisces nobis dulcius esse cibum.

DE COMITIS SVESSIONIS INTERITV.

QVI sola Sedani multis cum millibus Heros
Occupat armatus, Francis qui belliger aruis
Imminet, emensōque Mos & remorantis euntem
Gurgite, prætentas volitans per tela, per ignes
Perrumpit funditque manu insultante cohortes:
Hic ille excitos cœlo indignante tumultus
Victrices inter visus se attollere lauros
Non exspectato procumbens vulnere sedat.

D E E O D E M.

CVI comes ira fuit Comes inclytus inter anhelos
Palantum stricto dum furit ense globos,
Mauortis

Mauortis viridi velatus tempora lauro

Fulmineo arata glandis ab igne cadit.

Fulminea tuta Iouis laurus, sed Principis illud,

Cui nihil intactum, missile fulmen erat.

AD SEDANI CONIVRATOS.

Sedani impacata manus, quid tendere contrâ
Pergis, & insano concita Marte ruis?
Dum volitat victor lethali casus ab ictu
E tumulo ut cedas Dux tuus ipse monet.

DE ELNA EXPVGNATA.


ARA mei horrisono quatitur dum fulmine Regis,
Consilique, ARMANDE, tui sub pondere
nutat,

ENGVIE NIQVE animos in bellum horrescit euntis,
Elna minante patris CONDAEI territa vultu
Excuditur, trepidisque solo procumbit Iberis.

Perpinianai sedes hac Präfulis olim
Pacifera vittis frontem redimita Sionis,
Arx modò belligeros truculentí Martis in usus,
Armatis firmata viris, quos inclyta fama
Parthenope in bellum patrijs eduxit ab oris,
Mœnibus, & vallis veteres exosa colonos
Ferrata adstantes arcebat grandine Gallos.

*Improuisus adest CONDAEV^S, & imminet arci,
Actumidas extrema minans ardescit in iras,
Numen ad hoc extemplo animos exuta superbos
Pacem orat, Francique subit moderamina Regni.*

*Qua tibi mens fractis constat modo Ruscino rebus?
Quid demens meditaris? adest CONDAEV^S in armis
Quantus in Odrysia Mauors assurgit arena
Fata manu lethumque gerens, quid tela, quid ignes
Incassum iactas? melioribus utere tandem
Consilijs, fortémque antiquam mente revoluens
Assere te in Salicas renouato fœdere leges,
Cecropiisque, quibus campus tibi floret, olinis
Aurea tergeminis intersere Lilia culmis.*



POLIPHILO SVO.

Cuiilem Imperij Romani statum, qualis erat
sub Honorio & Arcadio Imperatoribus,
breuibus orationis strictæ modis compre-
hendere animus fuit. Visa est illud pietas, & grati-
tudo postulare, vt principis populi, qui Musas tam
benignè sinu suo exceptit, & fouit, immensam ditio-
nem, aduentitiâ barbararum gentium dominatione
oppressam, carminum ope rediuuiam exhiberem.
Nec à re alienum putaui inter Sylvas reponere ex-

pressam versibus huius Regni molem, quæ, in modum syluæ arboribus longâ serie consitis ad auras erectæ, cœlo se quondam extulit, & prouincijs miro ordine dispositis, sacro se populis horrore præbuit venerabilem. Non respondebat eq̄uidem poëticis numeris exacta huiusmodi Regionum enumeratio, & duriora rerum nomina teneros Musarum modos detrectabant. Peregi tamen propositum Opus, & malui non ingratus videri, dum rudi & incondito sermone nomini Romano debitum officium rependo, quām Gratij litare dum cultâ & politâ oratione venustius argumenti genus tracto. Non displicebit tibi, vt spero, qualiscumque hic noster labor, Poliphile dulcissime, qui antiquitate Romanâ nihil habes antiquius, nec videbitur superuacanea synopsis ad calcem Operis posita, quæ singula velut per indicem monstrat, & non relatos Magistratuū titulos, omissāmque in versibus prouinciarum differentiam obiter notat, docētque qui ex Magistratibus, Illustres, qui Spectabiles, vel Clarissimi, aut Perfectissimi dicentur, & quæ prouinciæ sub Proconsulū, aut Consularium potestate, quæque sub Præsidum aut Correctorum essent administratione. Quam distinctionem nos aliquando, si Deus annuerit, Iuris nostri, & veterum librorum autoritate confirmabimus.



IMPERII ROMANI DIVISIO.

SVB HONORIO, ET ARCADIO IMPP.

Versibus Hexametris, & Trimetris
Iambicis comprehensa.

BIS duo, Romulea quà fusa potentia Gentis,
Fuere Praefecti, ut ferunt, Prætorio.

Sacra Augstorum placide sub lege regendas
Bini tenebant solis occidui plagas.

Aduersis gemini præerant Regionibus orbis,
Quà Phæbi ab undis aureum prodit iubar.
Solis ad occasum, quà Roma est, Itala tellus
Agnouit unum, Gallia verò alterum.

Praefecti Italiae in tres Tractus summa potestas,
Sub quo Vicarii constituti quattuor.

Proconsulque unus, Regiones sub iuga missa
Ter denæ, amœnis fluminum cinctæ vadis.

Prima Diœcesis, quam Tractum iure vocauit,
Clarum potentis nomen Italiae tulit.

Illyricis alter Tractus vocatus ab oris,
Libya astuosa tertius dictus fuit.

Italicus gemini Tractus sub lege Vicarii
Decem atque septem continet prouincias.

Ex illis magna, veterisque Vicarius urbis

Decem regendas lege Romuleâ tenet.

Quæ Cereris, Bromiique patris certamine felix

Generosa pleno vina diffundit lacu,

Horreâque aggesti rumpit sub pondere farris

Campana primas terra partes vindicat.

Fatidica auguri magnum cui nomen ab arte

Loco secundo est Tuscia adiuncta Vmbria.

Vmbria quam docti clarissima Musa PropertI

Illustriorem luce Phœbeâ facit.

Picenum subit, aeterna quod stare sub urbe

Nomen vel ipsum quod gerit liquido probat.

Additur huic quartâ donata Valeria sede,

Quinta est Sabellum Regio, vulgo Samnium.

Sexta est quæ Lyricum donavit Apulia vatem

Româaque blandis extulit cithara modis.

Jungitur huic Calabrum tellus, quæ disparate fato

Epici Latinum principem rapuit metri,

Inuiditque tuas celeberrima Mantua palmas.

Accedit illis Brutium & Lucania.

Insequitur Siculis quæ messibus Insula turget,

Romaque largam se ferax prabet penum.

Nona mari assurgit Sardois noxia succis,

Metuenda taxis Cyrnus extremo est loco.

Ille autem Italica cui cura Vicarius ora

Septem regendis præfuit prouincijs.

Prima patet Venetis quæ necitetur Istria terris,

Exinde sedes proxima Æmilia datur.
 Tertia Flaminia, & Picenum, optata per orbem
 Annona nomen cui notâ propriâ dedit.
 Non procul hinc Ligures, niuib[us]que albentia saxa
 Alpina, Regis Cottij titulo inclyta.
 Accedunt, qua lata feras ut retia gentes
 Cohibere gaudent, Rhatia numero duæ.
 Hesperij claustra, & munimina limitis amba
 Populorum alumna terminant terra plagas.
 Decurso Italia Tractu, peragrare secundum
 Iuuat, VicarI unius imperio datum.
 Hic, quem appellari Illyricum prius ipse notaui,
 Prouinciarum continet septem ambitum.
 Norica, quorum unum priscis Ripense vocatur,
 Aliudque vulgo dicitur Mediterreum,
 Ardua constituunt duplicitis moderamina curæ,
 Pannonia prima insurgit, & post Savia.
 Inde Valeria subsequitur, mox altera paret
 Pannonia, adhæret sede Dalmatia ultimâ,
 Occulis qua clara opibus, radiante metallo
 Venas scatentes diuite abscondit sinu.
 Non ultra Illyrici trahitur descriptio Tractus,
 Referendus, orbis qui tenet partem, Africus.
 Proconsul simul atque Vicarius unicus Afris
 Datus premendis. Africa est Proconsulis:
 Quæ minor ingenti se[ci]e Carthagine iactat.
 Cura VicarI quinque sunt prouinciae.

Infrani primam Numida conflare feruntur,
 Loco secundo ponitur Byzacium.
 Cuius auet largo centena fænore messis
 Cumulare campos huic solo indulgens Ceres.
 Tripolitana subit, tum Mauritania duplex,
 Sitifensis harum prima de Sitifi oppido.
 Altera Casarei floret sub nominis umbra,
 Super astra tanto clara se titulo ferens.
 Hactenus Italiae mihi Praefectura relata est,
 Ad Galliarum nunc libens facio gradum.
 Tres illi suberant Tractus totidemque Vicari,
 Nouem atque viginti datae Provinciae.
 Prima Diœcesis septem Regionibus ingens
 Hispaniarum nomen antiquum tulit.
 Has regit unius cura indefessa Vicari.
 Est inter illas prima Maurorum plaga,
 Nomine vulgari quæ Tingitana vocatur,
 Sublati in altum celebris Antæ nece.
 Batica dein sequitur, viridi quam cinctus Oliuā
 Fulgente coco diuitem Batis rigat.
 Tertia bacchantis dicta est de nomine Lusi,
 Quæ seruitutis nuper excusit iugum,
 Imperiumque feri non aquum exosa Tyranni,
 Animosa priscum patriæ afferuit decus,
 Ereptoque suum cinxit diademate Regem.
 Tenet inde sedem proximam Gallacia.
 Succedit Regio, prabet cui Tarraco nomen.

Carthaginensi sexta pōst sedes datur.
Extrema apparent Baleares, torta ubi multo
Cum strepitu in orbem funda cōlum verberat.
Hac est summa tui descriptio Iberia Tractus;
Nunc Galliarum nos sui cupidos vocat.
Hic septem atque decem Regiones unius altæ
Cura VicarI creditas amplectitur.
Has inter primum duplex se Belgica monstrat,
Cui Scaldis vndans limes est, & Sequana.
Sequana liligeros cui fas allambere muros,
Rigare magni cui datum Regni caput.
Qui fluctus passu tardante coercet euntes,
Dolētque grato Francia auelli solo.
Nec patris Oceani gemmata reuise regna,
Nec adire vitreas Tethyos curat domos
Dum Luparae augustam spectans è gurgite molem
Videre sedem cœlici credit Iouis.
Belgica, ubi Atrebatum Franci rutilantia Regni
Se nunc receptum gaudet inter Lilia;
Séque triumphantis LODOICI vindice dextrâ,
Magnique captum iactat ARMANDI artibus.
Inque Duce ENGVIE NO primordia bellica laudat,
Maiora in armis facta queis cedant senum.
Et bello domitum Francis, queis militat aether,
Dat fausto honora pacis arrbas omine.
Pugnaces sequitur duplex Germania Belgas,
Cunis in ipsis flumine explorans suos.

Tum Lugdunensis quadruplex, ubi pallet ad aram,

Pauidusque totis artibus Rhetor tremit;

Quam medianam rapidis Rhodanus celer alluit undis.

Post Sequanorum Maxima est nono loco.

Mox & Aquitana duplex Regio inclita gentis,

Nouemque tellus clara qua populis viget.

Inde Viennensis triplex, quam Martius ornat

Coloniарum Narbo Romulidum decus.

Illic Palladia Capitolia celsa Tolosa,

Vrbisque magna mœnia assurgunt solo.

Quam tot Cœlicolum gemmisque, auróque micantes

Cœli fruentem sorte Reliquia beant.

Quam veneranda suum gaudet Themis esse tribunal,

Quâ docta Phœbi sede se iactat cohors.

Æquore a postremo Alpes, Graiaeque sequuntur,

Quibusque Pœnus nomen excisis dedit,

Præduram infuso rupem dum soluit aceto,

Per claustra planam montium faciens viam.

Carmine dicendus Tractus nunc tertius instat,

Complexa Nereo quem plaga Albionum facit.

Ille sub unius stetit olim iure Vicari,

Dum Roma stabat, quinque cum prouincijs.

Nobilis has inter numerata Britannia duplex,

Divisa toto terra qua mundo iacet

Flavia succedit, tum Maxima, Casaris amba

Magni superbo gestientes nomine.

Augurio hunc claudit felice Valentia Tractum,

Quo Roma quondam claruit titulo tumens.
 Sed iam ad surgentem vertamus lumina Phœbum,
 Latas cadentis Solis emensi plagas.
 Romanum gemini, quà sol caput exerit, orbem
 Praefecti habebant sub manu Prætorio.
 Horum unus, cui primus honos, Orientis; at alter
 Praefectus olim dictus Illyrici fuit.
 Eo üm bini Comites, ternique Vicari,
 Proconsul unus fascibus positis colunt.
 Quinque sub hoc Tractus, quos quadraginta nouémque
 Regionum honestat fama, & egregium decus.
 Prima Diæcessis varias diffusa per oras
 Asia superbum vindicat nomen sibi.
 Unius hæc regitur Proconsulis, atque Vicari
 Ditione, pollens undecim prouincijs.
 Ex illis uno tres sub Proconsule lectæ:
 Littorea nomen præferens Asia plaga.
 Clara Athamantæ miseranda sorte puella
 Regio, Priapi cura, necnon insula;
 Quas inter sublime Rhodos caput aethere tollit
 Arx Christiani nuper ingens nominis.
 Nunc autem Solymo fædè regnata Tyranno
 Sancta reiecto, prob nefas! labaro Crucis.
 Octo qua reliqua unius sub lege Vicari
 Habentur, illas inter est Regio Phrygum,
 Prisca salutarem quam gens cognomine dixit:
 Pacatiana mox datur Phrygia solum.

Non procul hinc rutilis Pactoli diues arenis,

Opibusque Cræsi Lydia insignis patet.

*Caria subsequitur, flammæque voriente Chimera
Audentiores Lycia quæ terret viros.*

*Additur his sextâ Pamphylia frondea sede,
Pisidia verò septimam adscribit sibi.*

*Ora Lycaoniae numero subit ultima gentis,
Tauri cacumen cui niue aspersum riget.*

*Alter Tractus erat Ponti, quem cura Vicari
Regebat insignem undecim Regionibus.*

*Mygdonia has inter, qua nunc Bithynia fertur,
Et terra, HonorI qua coruscat nomine.*

*Paphlagoniumque solum, mox Gallogracia duplex,
Geminaque Ponti Colchici prouincia.*

*Quæ sacram tellure Crucem pia traxit in auras
Helena Imperatrix nomen uni præbuit.*

*Altera ab immani E bellum spirante Tyranno
Sæcum furoris Martij titulum tulit.*

*Cappadocis subit ora duplex celebrata catastis;
Duplexque tellus Armeni nomen gerens.*

*Hic ubi Pellæ imperium indignatus Araxes,
Posuum recepit magno ab Augusto iugum,*

*Et tulit ire suos pontis sub fornice fluctus,
Ingens verendi Cæsaris venerans opus.*

*Mox Orientis adest Tractus, qui creditus uni
Comiti regenti quindecim prouincias.*

Hic primum duplex Cilicum se tollit in auras

Theatra multo terra qua spargit croco.
 Seruilio clarum qua fecit Isauria nomen
 Instat Cilissæ, non procul Syria plaga,
 Quam depresso loci Cœlen natura vocari
 Dedit inter altos montium scopulos sicam.
 Post Comagene Syria pars altera surgit,
 Lato alluentis nomine Euphratis vigens.
 Terra salutaris Syria comes additur illis.
 Ameno adhæret blanda Phœnice solo,
 Ardua Sidonijs qua surgit ad athera muris.
 Huic iuncta Libano monte Phœnice tumens.
 Deinde Palastina est triplex, quarum ultima sacro
 Christi expiavit sanguine humanum scelus.
 Impius hic ligno qui vicerat arbiter Orci
 Crucis ipse ligno victus ad terram ruit.
 Inde Salutarem quis non vocet, unde salutem
 Ægris oriri contigit mortalibus?
 Edeßâ urbe potens numero bis sena notatur
 Osrhoëna. Binos quæbbit fluvios adest,
 Quam liquidis Tygris, Euphratesque secare lacertis
 Amant, & vda zonâ amictam cingere.
 Proxima se duro Petrae nomine prodit
 Arabum rubenti diues amethysto plaga.
 Ultima dein sequitur qua non tamen inter amœnas,
 Et orbe claras ultima est Cyprus insulas.
 Quam Cytherea suo placitam dignatur amore,
 Ipsaque Olympi sede posthabitâ colit.

Quarta Diœcesis Phario celeberrima Nilo,
 Praefectus unus lege quam Augusti tenet.
 Bis ternis latè Regionibus inclita pollet,
 Vetus sagacis nomen Ægypti gerens.
 Quam celebrem facit urbs centum clarißma valuis
 Primam inter illas Thebaïs sedem capit.
 Proxima magnifico Arcadij se nomine iactans,
 Ditione Eoas qui suà tenuit plagas.
 Arcadiam subit Augustamnica, cominus instat
 Ægyptus, Isis nota linigero grege.
 Post Libya regio duplex, ubi sole perustis
 Tellus arenis torrida arescit siti.
 Quintus Threicij Tractus sub lege Vicar I
 Senas honorus qui regit prouincias.
 Hic Europa, nouæ quâ condita mœnia Roma,
 Prima inter omnes nobile attollit caput.
 Non procul inde iugis tellus quæ subiacet Hæmi,
 Deciorum origo clara cui famam dedit.
 Thracia sanguinei studijs asperrima belli,
 Mox & niuosis cautibus Rhodope venit.
 Mœsia succedit, sexta ordine terra Scytharum,
 Quibus in perenni vita versatur fugâ.
 Haec tenus Eoë per quinos didita Tractus
 Recitata tenui ditio Praefecti lyrâ.
 Illyrici supereft mihi Praefectura, sub ima
 Referenda cera, cui duo Tractus dati,
 Proconsulque subest unus, geminique volentes

Parent Vicarl, cum undecim Regionibus.
Quem propriâ primum ditione Vicarius unus
 Tractum administrat Dacia nomen gerit.
 Hic, quâ Danubius celebres intersecat oras,
 In quinque latè funditur prouincias.
Mæsia prima locum proprio tenet ordine primum,
 Post bellicosæ Dacia Regio duplex.
Quarta est Dardaniam tellus, qua nomine solo
 Cum Dardanorum gente prisca conuenit.
 Cuius inexhaustos longâ obsidione labores
 Maonia miris Musa concinuit modis.
Praevalitana sequens numerum his Regionibus addit
 Zonarum Olympi dispari numero parem.
Cui Macedum quondam sub eodem Praefide fertur
 Pars iuncta terra, quam Salutarem vocant.
Postremus Tractus Pellai clara trophyis
 Regio, Sarissas bellicâ quatiens manu.
Vnius hic Tractus Proconsulis atque Vicarl
 Sub lege senas continet prouincias.
Unica sub solo Proconsule Achaia floret,
 Vbi Minerua studia pacifera vident.
Blanda ubi nectareos instillat Suada lepores,
 Funditque dulces Attici mellis fauos;
Egregiaque nitent Musarum & Apollinis artes,
 Stupente cœlo Rhetorum & vatum decus.
Quinque sub unius Regiones iure Vicarl,
 Has inter armis præpotens Macedum solum.

*Accedit magicis gens Theffala nota susurris,
Epirus instat, qua noua & pariter vetus.*

Pars terræ Macedum, nomen cui dulce salutis.

Olim tributum est, auget Epirum nouam.

*Tandem Creta mari centum urbibus inclyta surgit,
Bromiique multo lata Patris nectare.*

Et quæ prima Ioui dedit incunabula tellus,

Eadem Poëta carmini finem facit.



IMPERII ROMANI TRACTVVM ET PRO- VINCIARVM SYNOPSIS.

N Orbe Romano quattuor erant Praefecti Prætorio, qui Viri Illustres dicti.	V.
Duo in Occidente.	Samnium, sub Praefide.
Duo in Oriente.	VI.
In Occidente,	Apulia, & Calabria, sub Correctore,
Praefectus Prætorio Italiam,	qui Vir Clarissimus.
Praefectus Prætorio Galliarum.	VII.
Sub Praefecto Præt. Italiam, tres Tra-	Lucania, & Brutium, sub Correctore.
ctus, siue Diœceses.	VIII.
Quattuor Vicarij, qui Viri Spectabi- les dicti.	Sicilia, sub Consulari.
Proconsul unus, qui & Vir Spectabilis.	IX.
Triginta Prouinciae, siue Regiones.	Sardinia, sub Praefide.
Prima Diœcesis, Italiam dicta est.	X.
Secunda, Illyrici.	Corsica, siue Cyrnus, sub Praefide.
Tertia, Africæ, vel Libyæ.	Secundo Vicario, qui Italiam dictus,
Prima Diœcesis, qua Italiam dicta, septem- decim Prouincias continebat, & duo- bus Vicariis regebatur.	septem Prouincias creditæ, quarum I.
Horum unus dictus Vicarius Urbis, vel Roma, alter Vicarius Italiam.	Venetia & Istria, sub Consulari.
Vicario Urbis, commissæ decem Pro- uinciae, quarum I.	II.
Campania, sub Consulari, qui Vir Clarissimus.	Æmilia, sub Consulari.
II.	III.
Tuscia, & Vmbria, sub Consulari.	Flaminia, & Picenum annonarium, sub Consulari.
III.	IV.
Picenum suburbicariū, sub Consulari.	Liguria, sub Consulari.
IV.	V.
Valeria, sub Praefide, qui Vir Cla- rissimus.	Alpes Cottiae, sub Praefide.
	VI.
	Rhætia 1. sub Praefide.
	VII.
	Rhætia 2. sub Praefide.
	2. Diœcesis, Illyrici dicta, sub uno Vicario constituta cum septem Prouincijs, qua- rum
	I. Noricum

I.	
Noricum Ripense, sub Præside.	Mauritania Tingitana, sub Præside.
II.	I I.
Noricum Mediterraneanum, seu Medi- terreum, sub Præside.	Bætica, sub Consulari.
III.	I I I.
Pannonia 1. sub Præside.	Lusitania, sub Consulari.
IV.	IV.
Sauia, sub Correctore.	Gallæcia, sub Consulari.
V.	V.
Valeria, sub Præside.	Tarragonensis, sub Præside.
VI.	VI.
Pannonia 2. sub Consulari.	Carthaginensis, sub Præside.
VII.	VII.
Dalmatia sub Præside ex Perfectissi- mis, qui à Clarissimis distincti.	Insulae Baleares, sub Præside.
Tertia Diœcesis, dicta Africa, sub uno Proconsule, & Vicario uno, cum sex Prouincijs.	Secunda Diœcesis, Galliarum dicta, sub uno Vicario, cum septemdecim pro- uincijs, quarum
Sub Proconsule, Africa minor.	I.
Vicario quinque prouinciae reliquæ commissæ.	Belgica 1. sub Consulari.
I.	I I.
Numidia, sub Consulari.	Belgica 2. sub Consulari.
II.	III.
Byzacium, sub Consulari.	Germania 1. sub Consulari.
III.	IV.
Tripolitana, sub Præside.	Germania 2. sub Consulari.
IV.	V.
Mauritania Sitifensis, sub Præside.	Lugdunensis 1. sub Consulari.
V.	V I.
Mauritania Cæsariensis, sub Præside. Prefectus Prætorio Galliarum, qui secun- dus in occidente, habebat	Lugdunensis 2. sub Præside.
Tres Diœceses.	V II.
Tres Vicarios.	Lugdunensis 3. sub Præside.
xxix. Prouincias.	V III.
Prima Diœcesis, Hispaniarū dicta est.	Lugdunensis 4. sub Præside.
Secunda, Galliarum.	X.
Tertia, Britanniarum.	Aquitania 1. sub Præside.
Prima Diœcesis, Hispaniarum dicta, ha- buit unum Vicarium, & septem pro- uincias, quarum	X I.
	Aquitania 2. sub Præside.
	X II.
	Nouempopulonia, sub Præside.
	X III.
	Vienensis 1. sub Consulari.

XIV.	
Viennensis 2. sub Præside.	II.
X V.	Hellespontus, sub Consulari, quæ &
Viennensis 3. sub Præside.	sub Proconsule, tamquam sub Vicario.
XVI.	III.
Alpes maritimæ, sub Præside.	Insulæ sub Præside, & sub Proconsule, ut Hellespontus.
XVII.	Octo reliquæ Prouinciarum erant sub
Alpes Graicæ, & Poeninæ, sub Præside.	Vicario.
Tertia Diœcesis, Britanniarum dicta, sub	I.
uno Vicario cum V. Prouincijs quarum	Phrygia Salutaris, sub Præside.
I.	II.
Britannia 1. sub Præside.	Phrygia Pacatiana, sub Præside.
I I.	III.
Britannia 2. sub Præside.	Lydia, sub Consulari.
I II.	IV.
Flavia Casariensis, sub Præside.	Caria, sub Præside.
I V.	V.
Maxima Cæsariensis, sub Consulari.	Lycia, sub Præside.
V.	VI.
Valentia, sub Consulari.	Pamphylia, sub Consulari.
Et hæc de Præfectis Prætorio in occidente	VII.
constitutis.	Pisidia, sub Præside.
Præfectorum Prætorio in Oriente alius di-	VIII.
cus fuit Præf. Prætorio Orientis; alius	Lycaonia, sub Præside.
Præf. Præt. Illyrici, distincti ab Illyri-	Secunda Diœcesis, Ponti dicta, sub uno
cana Diœcesi in occidente constituta.	Vicario, cum Undecim prouincijs quarum
Sub Præfecto Prætorio Orientis erant	I.
quinque Diœceles,	Bithynia, sub Consulari.
Vnus Proconsul,	II.
Duo Comites.	Honorias, sub Præside.
Tres Vicarij.	III.
XLIX. Prouinciarum.	Paphlagonia, sub Correctore.
Prima Diœcesis, Asie dicta.	IV.
Secunda Ponti.	Galatia, siue Gallograecia, sub Consu-
Tertia, Orientis.	lari.
Quarta, Ægypti.	V.
Quinta, Thraciarum.	Galatia Salutaris, sub Præside.
Prima Diœcesis, que Asia dicta, ha-	VI.
buit unum Proconsulem, vicarium	Helenopontus, sub Præside.
unum, Undeem prouincias.	VII.
Ex illis, tres sub Proconsule.	Pontus Polemoniacus, sub Præside.
I.	VIII.
Asia minor, Proconsularis.	Cappadocia 1. sub Præside.

	IX.	
Cappadocia 2. sub Præside.		Quarta Diœcesis, Ægypti dicta, sub prefecto Augustali, alias Prefecto Ægypti, qui vir spectabilis.
X.		Sex in eo Tractu Prouinciarum.
Armenia 1. sub Præside.	X I.	I.
Armenia 2. sub Præside.		Thebaïs, sub Præside.
Tertia Diœcesis, orientis dicta, sub uno Comite, qui vir spectabilis, cum X V. prouincijs, quarum	I.	II.
Cilicia 1. sub Consulari.	I I.	Arcadia, sub Præside,
Cilicia 2. sub Præside.	I I I.	I I I.
Isauria, sub Præside, qui ex Perfectis- simis.	IV.	Augustamnica, sub Correctore.
Syria 1. siue Cœle, sub Consulari.	V.	I V.
Syria Comagene, vel Euphratensis, sub Præside.	VI.	Ægyptus, sub Præside.
Syria Salutaris, siue Palmyrena, sub Præside.	V I I.	V.
Phœnice, sub Consulari.	V I I I.	Libya inferior, sub Præside.
Phœnice Libani, sub Præside.	I X.	VI.
Palæstina 1. sub Consulari.	X.	Libya superior, sub Præside.
Palæstina 2. sub Præside.	X I.	Quinta Diœcesis, Thracia dicta, sub uno Vicario cum sex proouincijs, quarum
Palæstina 3. dicta Salutaris, sub Præ- side.	X I I.	I.
Osrhoëna, vel Osdroëna, sub Præside.	X I I I.	Europa, sub Consulari.
Mesopotamia, sub Præside.	X IV.	II.
Arabia Petræa, sub Præside, qui ex Perfectissimis.	X V.	Hæmimontus, sub Præside.
Cyprus, sub Consulari.		III.
		Thracia, sub Consulari.
		IV.
		Rhodope, sub Præside.
		V.
		Mœsia 2. sub Præside.
		VI.
		Scythia, sub Præside.
		Secundus Praefectus Prætorio, in oriente constitutus, qui Illyrici dictus, habebat duas Diœceses, quarum I. Dacia di- cta, secunda Macedonia.
		Sub hoc Praefecto erant duo Vicarij, vñus Proconsul, vndecim Prouin- ciæ.
		Prima Diœcesis, Dacia dicta, sub vi- cario, cum quinque proouincijs qua- rum
		I.
		Mœsia prima, sub Præside.

II.	Sub Vicario reliquæ Prouincie.
Dacia Ripensis, sub Præside.	I.
III.	Macedonia, sub Consulari.
Dacia Mediterranea, sub Præside.	II.
V.	Thessalia, sub Præside.
Dardania, sub Præside.	III.
V.	Epirus noua, & pars Macedoniae Salutaris, sub Præside.
Praevalitana, & pars Macedoniae Salutaris, sub Præside.	IV.
Secunda Diœcesis, Macedonia dicta, sub Proconsule & Vicario cum VI. Prouincijs, quarum	Epirus vetus, sub Præside.
VI.	Creta, sub Consulari.
Sub Proconsule Achaia,	

F I N I S.



DE MORBO
EMINENTISSIMI
CARDINALIS
DVCIS DE RICHELIEV,
EPIGRAMMA.



*V*O Franci stat iusta salus, & gloria
Regni

ARMANDVS morbo, pallidus
ora, iacet.

Et tamen Hispanis gaudet Catalaunia
fusis,

Sanguineamque gemens mordet Iberus humum.

Nec tantum hic nostras ambit Victoria turmas,
Vicino sequitur nos quoque lata solo.

Fulminis horrifico concussa Illiberis ictu
Arua triumphato libera ab hoste facit.

Purpureásque parat Regis sub vere trophais
Perpinianeis consociare Rosas.

Ne tantos agro ARMANDO mirere triumphos
Laude nouâ Francum nobilitare decus.
Scilicet illasum caput est quo voluitur Orbis,
Solaque RICHELII brachia morbus habet.

DE EODEM.

Lligeri augustum Martis, vigilémq; Ministrum,
Qui pacis ergo bella consilijs iuvat,
Ingeniisque pios LODOICI promouet ausus,
Morbo iacentem Martius Narbo tenet.
Infelix Narbo, verni qui temporis ortu
Hyemem renascentem in tuo cernis sinu,
Proque rosis, violisque graues in pectore maesto,
Qui Regem, & omnes asperant, sentis rubos.
Pone modum iusto, Narbo impacate, dolori;
Consilia, Francum queis decus surgit, vigent.
Nimirum hac capitatis fato est reverentia, ut agris
Pars illa membris viuida à morbo vacet.
Nequidquam infenso sauit sors inuida tabo,
Artusque sacros liuidâ sanie premit:
Ac capite unde fluunt totum bona tanta per Orbem
Abesse Superis quodlibet placuit malum.



A D
EMINENTISSIMVM
C A R D I N A L E M
DVCEM DE RICHELIEV
S O T E R I A,

Post morbum , quo perculsus fuit , cùm suum illi
Syluarum librum Autor offerre destinaret.

DVM properat sacros Syluis umbrare
penates
Menilius, festoque parat per ouantia culta
Limina RICHELII vocales spargere
frondes ,

Magna quibus veteris Dodona oracula cedant,
Infert se tectis curarum immisus ab astu ,
Quas pro Rege suo ARMANDI mens anxia versat,
Morbus, & Herois diuinos occupat artus ,
Ac rabido febris depascitur improbus igne ,
Vestibulóque domus latos cum vere ferentem
In manibus ramos vatem illatibilis arcet.

Syluarum sic omne decus marcescit, & agro
RICHELIO Dryades deicto vertice marent ,
Et iam nullus bonos oleis, iam gratia lauris

*Nulla subest. Quò Phœbe tuas decerpere frondes
Colle Aganippao Musa adspirante dedisti?
Quò mihi Pieriam tribuisti pectine eburno
Sollicitare chelym, fidibusque ciere canoris?
Magna quidem fateor, sed non hac grata poëta
Dona tuo; cui nulla queunt vel magna placere,
Dum morbo iacet ARMANDVS, quo sospite iustos
Nouimus esse Deos, sub quo non aqua merenti
Cuncta iacent laudum simul & fastigia rerum.*

*Tam dura perculta labat mens turbine sortis,
Et lacrymis magè, quam vitali vescitur aura.
Incusans Superos animus, calumque lacefens
Assiduo, quem crebra premunt suspiria, questu.*

*Sed bene, quòd tanto, qui me intractabilis urget,
Numina dant miserata modum, finemque dolori.*

*Dum lacrymans quereret ecce venit, votisque vocatus
In Parcas, & fata potens accurrit Apollo;
Quique mihi ingentes dedit olim in carmina vires
Musarum pater, & facundi carminis autor,
Idem RICHELIO medicinae inuentor, in annos
Euboicos cara producit stamina vita
Arte salutifera, pulsique è corpore tabo
Obruta natiui reparat fomenta caloris,
Latitiamque orbi grata cum luce reducit,
Sollicitaque iubet LODOICI in secla serenos
Fre dies, curas dum solaturus heriles
Incolumis viget assiduus, solersque Minister,*

Imperiique grauem librat sub Principe molem.

*• Aonidum chorus omnis lo, Paeanaque latum
Concinat, aurata feriat Parnassia proles
Fila lyra, & plectro meliori in gaudia voces
Misceat: erubuit tanto viduare Magistro
Liligeram Fortuna ratem, nec abenea Clotho
Tam carum caput ausa pio subducere Regi.
Vota Deo plenâ passim soluantur acerrâ,
Et patres, populisque suis altaria donis
Coniunctis cumulent studijs, assurgite Sylva
Vernantes, quas RICHELII deiecerat alto
Culmine morbus atrox, & sacro frondis honore
Perpetuam facite Heröi sine nubibus umbram.*

DE EODEM MORBO

ELEGIA.




*RMANDI, per quem ventosifastus Iberi
Detumuit, sanie brachia lesa tument:
Cumque fero labefacta coquit præcordia tabo
Ardentem quatiens febris adusta facem.
Cui non immodico turgent stillantia fletu
Lumina? quis querulis non ferit astra modis?
Soluitur in lacrymas agro LODOICVS amanti
Fixus amans, placidos nec sinit ire dies.
Angitur ENGVIE NVS casu percussus amaro;
Mærorique potest vix superesse suo.*

*MILLERVM non una premit vis saua doloris,
Mille cadunt oculis flumina , mille genis.
Aula graui luctu obruitur , victicia marent
Lilia, Narbo dolet, Gallia tota gemit.
Stat passas lamata comas Europa , suique
ARMANDI in fatis obstupefacta riget.
Omnis in hoc morbo mundi turbata laborat
Machina , tam duram nescia ferre vicem.
Dum iacet orbis honos luctu obsita turba Sororum,
Virtutumque cohors semisepulta iacet.
Pallade cum pauida attonitus tabescit Apollo,
Turbidus Aonijs defluit humor aquis.
Arida Phœbae marcent per gramina lauri,
Squalent Pieria tristia fila lyrae.
Interea serpens artus depascitur ulcus;
Et magis , atque magis membra per agra furit.
Nec tabo premitur tantum Dux magnus ab uno,
Ingerminat tetram fors inimica luem.
Horret inexhaustam saniem tractare Machaon,
Terque recurrentem sollicitare pauet.
Cessant Paonia , cessant & Japidis artes,
Nulla agrescenti stat medicina malo.
Quid mihi cum terris? ait imperterritus Heros,
Scilicet è caelo tota petenda salus.
Nate patris summi solio delabere ab alto,
Subque meo Numen pectore conde tuum.
Si mihi dehinc famulas LODOICO impendere curas,*

Francaque consilijs sceptra iuuare negas.
Si vixisse satis visum, iamque ultima venit,
Rumpere qua debet stamina nostra, dies.
Duc precor in superas animum Deus optime sedes,
Ac morienti esto vita mihi, atque via.
Semper & o LODOICO adsis, sint & tibi semper
Lilia, & Augusta germina cara domus.
Dixit, & infuso per hiantia pectora Christo
Miscetur magno sacra per ossa Deo.
Quam teneris Dominum ille suum complexibus urget!
Quamque illum Dominus suauiter intus alit!
Hac inter blanda aetherei commercia Verbi
Improuisa subit languida membra quies.
Mox circumfuso sanies durata veneno
Liquitur, & tabo molle paratur iter.
Vlcus hiat, Stygiisque vomit cum fluctibus undam,
Ignea RICHELII corpore febris abit.
Heroi redit alma salus, morboque fugata
Latitia in terras flore adoperta redit.
Quis nunc Aprilem, quo tam dirum vlcus apertum est,
Conueniens facto nomen habere neget?
Non hac humana veniunt Chironis ab arte,
Magna Dei tantum dextra peregit opus.
Hic pietatis honos, quam Rex, Regisque Minister
Aethereo incensi Numen amore colunt.

Fundebat Narbonæ 5. Non. Maij 1642.





717(42)